DISPUTATIO ACADEMICA
DE
VALDENSIUM SECTA
AB
ALBIGENSIBUS BENE DISTINGUENDA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI CORNELII BROERS,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. MED. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS JAS,

AMSTELAEDAMENSIS.

AD DIEM VIII APRILIS MDCCCXXXIV, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD A. VAN BENTEN.

MDCCCXXXIV.

DISPUTATIO ACADEMICA

DE

VALDENSIUM SECTA

AB

ALBIGENSIBUS BENE DISTINGUENDA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI CORNELII BROERS,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. MED. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

PETRUS JAS,

AMSTELAEDAMENSIS.

AD DIEM VIII APRILIS MDCCCXXXIV, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD A. VAN BENTEN.

MDCCCXXXIV.

TYPIS J. G. LA LAU.

WESSELO ALBERTO VAN HENGEL,

THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE IN ACADEMIA LUGDUNO-

BATAVA PROFESSORI:

VIRO CLARISSIMO,

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO.

DIDERICO HENRICO WILDSCHUT,

SACRORUM ANTISTITI IN COETU CHRISTIANORUM

AMSTELAEDAMENSI:

VIRO PLURIMUM VENERANDO.

Has studiorum suorum
primitias, ea, quâ par est,
reverentia
D. D. D.
AUCTOR.

L. B.

Disputationem Academicam in lucem editurus, multum non habebam, quod ei praefarer. Causas enim, cur de argumento proposito scribere decreverim, hoc loco commemorare nihil attinet. Ceterum mihi gratum fore, si viri rerum intelligentes me oleum et operam non prorsus perdidisse judicaverint, me quidem tacente, Lectori Benevolo satis persuasum erit. Fateri non recuso, si praevidissem fore, ut quaestio tractata tantum sibi operae et curae requireret, quantum mihi in eam impendendum videretur, me aliam eamque faciliorem, de qua disputarem, mihi sumturum fuisse. Sed nunc tenuitatis meae conscientia me veniam petere jubet errorum, quos adolescens commisero. Equidem hunc unum certe ex labore meo percepi fructum, ut Historiam Haereticorum *medii aevi cum Providentiae Divinae regimine ad res Christianas paulatim amplificandas et illustrandas arctissime cohaerere, ab eo inde tempore, quo* Valdenses *cum* Albigensibus *comparare incepissem, multo melius videre mihi contingeret, quam antea. Ad quod igitur argumentum diligentius, quam vires animi mihi permitterent, persequendum, si populares meos erudītiores, qui studiorum causa in scholis versantur, quodammodo excitavero, nihil mihi habebo suavius et jucundius.*

Restat, ut Academiae valedicturus, fautoribus et amicis gratias agam pro beneficiis in me collatis. Vobis igitur, Viri Clarissimi, qui mihi in Athenaeo Amstelaedamensi *et* Academia Lugduno-Batava *optimi praeceptores fuistis! et tibi maxime, Cl.* HENGELI*! Promotor aestumatissime! quantum debeam, dicere*

non possum. Sed quo brevior sim in singulari, qua me complexi estis, caritate praedicanda, eo gratiorem me vobis esse bene novi. Vos, Viri Clarissimi! Vobis Vestrisque, et Patriae, et rebus Christianis diu valete et vigete! Et Vobis, Commilitones suavissimi! omnia bona et praeclara per omnem vitam divinitus exopto: vos vero persuasum vobis habete, memoriam amicitiae et benevolentiae, quam mihi praestitistis, nunquam ex animo meo deletum iri.

DE VALDENSIUM SECTA

AB ALBIGENSIBUS BENE DISTINGUENDA.

INTROITUS.

Nulla sane fuit aetas, qua religionis Christianae efficacitas saluberrima in hominum animos magis infringeretur et minueretur, quam medii aevi temporibus. Quod ut omnis horum temporum testatur historia; ita etiam in oculos incurrit, si ad tristissimam illam attendimus *Hierarchiam*, qua Pontifices Romani, inde a GREGORIO maxime VII usque ad BONIFACIUM VIII, hominum animis servile tanquam jugum imposuerunt. Sed ne sic quidem dominatio eorum omnem doctrinae Divinae lucem prorsus exstinguere potuit: immo vero haud pauci exstitere viri, meliore religionis cognitione imbuti, qui caliginem, populis Christianis offusam, haud sine felici successu discutere inciperent. Atque horum virorum, qui ignominioso *Haereticorum* vocabulo notabantur, tanta fuit multitudo, ut ne armorum quidem vi deleri possent.

Quamvis autem omnes horum temporum Haeretici hoc nomine bene meriti

sunt, quod Pontificum Romanorum dominationem aggrediebantur; vehementer tamen inter se de ipsa doctrina Christiana discreparunt, ita ut alii ad mentem Auctoris proxime accederent, alii longissime ab ea averterentur. Sed summopere dolendum est, haud pauca, quae, cum de singulis Pontificum adversariis, tum de universis adversariorum sectis, memoriae prodita sunt, densissimis obscuritatis tenebris involuta esse. Neque omnis omnino obscuritatis expertes sunt narrationes Veterum de *Valdensibus* et *Albigensibus*, qui variis in regionibus Hierarchiam Papalem validissime oppugnarunt, tantamque rerum mutationem attulerunt, ut merito instaurationem illam sacrorum, a *Luthero* aliisque seculo XVI constitutam, praeparasse censeantur. Mirandi igitur non sunt Viri docti, qui in historia *Albigensium* et *Valdensium* repetenda diligentiam posuere: et *illi* quidem *utrum iidem sint habendi, an a se invicem distinguendi*, tam gravis exorta est quaestio, ut ne ad hunc usque diem lites componere contigerit.

Jam vero mihi, disputationem Academicam scripturo, haec valde placuit quaestio, in cujus tractatione vires juveniles experirer. At ab ea tamen aggredienda, dicere non possum, quantopere me absterruerit argumenti difficultas. Sed animum tandem Cl. HENGELII auctoritas mihi adjecit. Cujus igitur viri monita in rem meam convertens, laborem alacriter incepi. Probe quidem intelligebam, quaestionem tanti ponderis, quae acutissima ingenia inde a longo tempore exercuisset, a me juvene diremtum non iri; sed spe tamen mulcebar fore, ut ipsis fontibus, unde rerum antiquarum notitiae petendae sunt, diligenter adeundis, nonnihil forte lucis ei adspergerem. Quod an haud temere speraverim, judicium penes lectorem est.

De Valdensium Secta ab Albigensibus bene distinguenda ita disputabo, ut in altera parte *Valdensium Sectam ab Albigensibus revera distinguendam esse* probem; in altera ostendam, *quomodo utrique a se invicem distinguendi sint.*

CAPUT PRIUS.

VALDENSIUM SECTAM REVERA AB ALBIGENSIBUS DISTINGUENDAM ESSE PROBATUR.

§ 1.

Virorum doctorum dissensio.

Cum post renatas maxime litteras seculo XVI. Viri docti in *Albigensium* et *Valdensium* Historiam inquirere inceperant, a plerisque de eo disputatum est, utrum *Valdenses* et *Albigenses* iidem dicendi, an a se invicem distinguendi sint. Qui autem id agebant, ut, viam quasi mediam ingressi, hanc litem componerent, vel sic quidem utramque sententiam non eodem habuerunt loco et numero. A litibus, quas haec peperit quaestio, breviter exponendis initium hîc facere oportet.

Inter eos, a quibus *Valdenses* iidem dicuntur atque *Albigenses*, duplex agendi ratio locum habet. Pars, *Valdenses* laudare, pars, eos vituperare cupiunt. Laudatorum principem appellare possumus LEGERUM (1), qui diserte dicit: nomen *Albigensis* significare hominem, qui sequatur doctrinam, quam *Valdenses*, Vallium incolae, in *Albiam* introduxerunt. Doctrinam autem

(1) *Histoire générale des Eglises Evangeliques des Vallées de Piemont, ou Vaudoises.* Lib. I. Cap. 2. p. 18, 25.

horum hominum hoc in scripto a capite ad calcem probare studet: quo et consilio ad monumentorum antiquorum provocat testimonia. Ejusdem ordinis sunt P. BOYER (1), M. SCHAGEN (2); item F. SPANHEMIUS (3), quamvis non omne negat discrimen, quod utrisque adscripserunt alii; et BASNAGIUS (4), qui data opera *Albigenses* vindicare conatur ab accusationibus, quibus veteres et recentiores scriptores eos petierunt; nonnulla tamen fuisse statuens, quibus illi a *Valdensibus* discreparent. Brevitatis causâ alios praetereo.

Vituperatorum agmen maxime ducunt *Jesuitae*, qui scripta medii aevi de *Valdensibus* et *Albigensibus* in lucem ediderunt iisque annotationem adjecerunt. Et nemo facile vehementior quam GRETZERUS, *in Prolegomenis ad* LUCAE *Tudensis Succedaneos*. *Albigenses* enim ait (5), non alios quam *Valdenses* esse habendos, quippe quod in comperto sit, et fateatur quoque PLESSAEUS in libro *Mysterii iniquitatis*. Qualem autem sententiam de *Valdensibus* tulerit, jam intelligimus ex titulo Capitis, unde hoc descripsimus: *de Perniciosa sectae hujus foecunditate*. Similiter mentem explicuit JOANNES MARIANA, in *Praefatione* ad ejusdem LUCAE historiam, quam inscripsit *de controversiis* adversus *Albigenses*; ubi legimus: *Valdenses seu pauperes de Lugduno, qui iidem Albigenses sunt, nomine alio, cum eadem ferme utrorumque essent doctrinae capita, neque multa discrepant aetate.* Atqui eum de *Albigensibus* minus benigne sentire, paulo inferius ostendit, dicendo: *Albigensium placita multa fuerunt: nullum enim erat ferme impietatis genus, quod ii homines non susciperent, docerentque alios* (6). Sed post-

(1) *Abregé de l'histoire des Vaudois.* p. 3.
(2) *Historie der Waldensen.* p. 180.
(3) *Operum.* Tom. I. p. 1596 sqq.
(4) *Histoire de l'Eglise depuis J. Christ. jusqu'à present.* Vol. II. p. 1401.
(5) *Maximae Bibliothecae Veterum Patrum.* Tom. XXV. p. 252.
(6) Ibidem p. 190.

quam BOSSUETUS (1) aliique viri docti in Ecclesia Romana se his aliisque opinionis illius patronis opposuerant, paucissimi fuerunt, qui eam repeterent.

Progrediamur ad recensionem virorum, qui *Valdenses* et *Albigenses* a se invicem discernunt. Inter principes eminet LIMBORCHIUS, qui se antea utrosque omnino eosdem habuisse fatetur; sed post diligentem perlustrationem sententiarum *Inquisitionis Tholosanae*, quotquot ad suam notitiam pervenerunt, mentem mutasse (2), atque nunc se ferme credere, eos revera a se invicem discernendos esse. Quod autem contendit vir doctus, utrosque olim a Protestantibus fere omnibus eodem loco ac numero habitos esse, gravissima sua auctoritate confirmant VENEMA (3) et SCHROECKHIUS (4). JACOBUS item USSERIUS (5) id strenue agit, ut *Albigenses* a *Valdensibus* discernantur. Paulo aliter WALCHIUS (6), ad *librum sententiarum* provocans, et hanc faciens disputandi conclusionem: *negari quidem non posse, varia ab utraque secta dogmata communia recepta esse; sed magnam quoque eorumdem aeque ac rituum et institutorum diversitatem inter eos intercedere patere.* Et recentiori tempore omnes fere Protestantes inter utrosque interesse judicarunt; quamquam *Albigensium* partem cum *Valdensibus* consentire putabant. Vide VENEMAM (7), MOSHEMIUM (8), et, ne plures memorem, GIESELERUM (9).

---

(1) *Histoire des Variations des Églises Protestantes. Oeuvres.* Tom. XX. p. 189. sqq.

(2) Vide librum, cui titulus: *Historia inquisitionis, cui subjungitur liber sententiarum Inquisitionis Tholosanae, ab anno Christi* 1307 *ad annum* 1322. Cap. VIII. p. 30.

(3) *Institutiones Historiae Ecclesiasticae.* Tom. VI. p. 145.

(4) *Christliche Kirchengeschichte.* Tom. XXIX. p. 569.

(5) In toto opere *de Ecclesiae continua successione.*

(6) *In Miscellanea Sacra.* p. 651.

(7) *L. c.* p. 134.

(8) *Institutionum Historiae Ecclesiasticae.* p. 550.

(9) *Lehrbuch der Kirchengeschichte.* Tom. II. p. 551, 597 sqq. ed. III.

Neque ab hac sententia, antiquiori jam tempore, alieni fuerunt omnes, qui Ecclesiae Romanae placita sequebantur. NATALIS ALEXANDER dicit, *Valdenses* variis nominibus, uti *Albigensium*, *Bulgarorum*, *Catharorum*, *Lollardorum* aliorumque designatos, et hactenus eosdem atque *Albigenses* habendos esse; sed ne vel sic quidem iis omnes illos imputari vult errores, quos *Albigenses* foverunt. Immo postquam, REINERUM secutus, *Valdensium* placita recensuit; eos de industria a *Manichaeismi* et *Arianismi* crimine liberare conatur. Quid? quod *Valdenses puros*, quos ab *impuris* i. e. *Catharis*, *Bulgaris*, ceteris distinguit, de Deo et CHRISTO recte sensisse contendit, GRETZERO *Jesuitae* titulorum, quos tractatus EBRARDI, ERMENGARDI et REINERI habere debebant, temerariam objiciens mutationem (1). Eandem similemve viam praeter BOSSUETUM ingressi sunt RICCHINIUS (2) aliique.

§ 2.

Dissensionis causae.

Causae, quae virorum doctorum dissensionem pepererunt, tres maxime sunt: *inopia monumentorum*, *Scriptorum veterum levitas*, *partium studium*. De singulis nonnihil dicamus.

Et sane, quemadmodum posteritati desiderium relictum est multorum, quibus accurata rerum Ecclesiasticarum medii aevi afferretur cognitio; sic *monumentorum*, unde *Valdensium* et *Albigensium* origines et opiniones petantur, satis magna laboramus *inopia*. Nam non desunt nobis libri, in quibus *Haeretici*

---

(1) *Hist. Eccl. Veteris Novique Testamenti.* Tom. VII. p. 94. 95, 100.

(2) *Praefatione ad* MONETAE *libros quinque adversus Catharos et Valdenses.* p. XLIII-XLIV.

varii generis, qui Ecclesiam turbarunt, enumerantur et refutantur; et haud pauca nobis tradita sunt, quae placita eorum et fata spectant; sed historiam eorum, quae omnia ab initio repeteret et continua serie procederet, nemo veterum scripto mandavit. Cui quidem operi nisi fallor homines, quotquot sibi meliores rerum gestarum notitias, quam vulgus Monachorum, comparaverant, manum admovere noluerunt; quoniam impietatis memoriam potius exstinguendam quam conservandam esse censebant. Plerique eorum quoque, qui ad scribendum satis instructi et idonei erant, rebus civilibus et bellicis tantopere implicati fuerunt, ut iis et otium deësset et voluntas alia posteritati tradendi, quam expeditiones militares ad *Haereticos* exstirpandos susceptas, aut Pontificum Regumque instituta et edicta, quibus *Hierarchia* stabiliretur. Et quo longius quis a *Gallia Narbonensi* et vicinis locis, unde sectae Ecclesiam infestantes maxime prodibant, remotus erat, eo minore cura plerumque persequebatur quae ad historiam illarum pertinebant. Hanc igitur pauci tantum obiter attigerunt, ceteri prorsus praeterierunt. Quod de *Chronicis*, quae his temporibus confecta sunt, aeque dicendum est ac de libris, in quibus facta *Clericorum* ad *Haereticos* profligandos data opera narrantur. Quamvis autem de *Valdensibus* plura, quibus origines eorum et opiniones illustrentur, notata reperimus, quam de plerisque aliis *Haereticis;* haud pauca tamen vel satis tenuia, vel locis adspersa sunt, ubi vix ea quaesiveris. Quidquid autem ipsi ad causam suam explicandam et defendendam scripserint *Albigenses*, quis miratur Pontificum et Monachorum vi una cum eorum nomine interiisse? Scripta vero *Valdensium*, quae seculo XII tribuuntur, tam aperta produnt recentioris aetatis vestigia, ut in eorum usu ad historiam vetustatis indagandam magna cautio requiratur (1).

---

(1) Cff. SCHROECKHIUS *l. l.* p. 528. GIESELERUS *l. l.* p. 560, 561. Qui haec scripta temporibus, qui-

Pervenimus ad alteram dissensionis causam *Scriptorum veterum levitatem*, quae quidem tanta est, ut saepissime nesciamus, iisne fides habenda, an prorsus neganda sit. Primum enim, quam falsa pro veris venditaverint monachi, apparet ex frequenti narratione miraculorum absurdorum, ridiculorum et quae in commodum Ecclesiae temere conficta sunt. Deinde inanes populi rumores, suasque conjecturas, cum rebus in facto positis haud raro confuderunt ita, ut ne acutissimis viris utraque a se invicem semper discernere contingat. Porro *Haereticorum* appellationi vagam illam et incertam tribuerunt notionem, ut ea saepe *Scismaticos*, *Fanaticos*, quin et homines notarent, qui tyrannidi sacerdotali officium praestare recusabant: uti hac ignominiae nota FREDERICUM Imperatorem insignivit Papa GREGORIUS IX. Denique horum scriptorum levitas in eo etiam cernitur, quod se invidia adeo incitari passi sunt, ut saepissime eos, qui ab Ecclesia Romana dissentiebant, vitiorum et scelerum accusarent, quorum plane immunes essent. Animadvertendum quoque est, unum alterumque monachorum, qui contra *Valdenses* et *Albigenses* scripserint, horum placitis antea serviisse. Jam vero, uti nemo in sectam qualemcunque odio tam implacabili invehi solet, quam desertores (*Renegati* vulgo dicuntur); ita illi acerbius se gesserunt, quo clarius Pontificibus ostenderent, se vere et ex animo ad Ecclesiam reversos esse. Quam et culpam amovere non ausim a REINERO, cui *liber* adscribitur *contra Waldenses Haereticos* (1). Sed magna cautio adhibenda est in hujus libri usu. Non solum enim falsissimum titulum in fronte gerit, sed continet

---

bus a LEGERO aliisque tributa sunt, revera composita esse statuunt, ut post alios multos nuper RÖSSLER, *Versuch einer kurzen Geschichte der Waldenser*. p. 35. DIETERICI, *Die Waldenser und ihre Verhältnisse zu dem Brandenburgisch-Preussischen Staate*. p. 15. sumere quoque coguntur, sectam a VALDO originem non duxisse, sed longe antiquiorem esse: quod tamen quam falsum sit, infra ostendere conabimur.

(1) In *Bibl. Patrum*. *l. c.* p. 262 sqq.

etiam quae auctori temere affIcta sunt; quod spem fecit GIESELER (1), ut data occasione uberius explicaret et probaret. Haud temere sane vir doctus monuisse videtur, non nisi *Caput* VI, exceptis nonnullis, quae alienam manum produnt, a REINERO profectum esse, cetera autem referri deberi ad finem seculi XIII. Quod autem adjecit, *Inquisitorem* aliquem *Germaniae* haec ex variis fontibus imperite congessisse, locorum quorumdam lectione, quae constare prorsus nequeunt, mihi tam persuasum est, ut fere conjiciam, plures fuisse homines, qui, Veterum scripta compilantes, singuli quaedam exemplo suo addiderint. Quidquid hujus rei est; hic liber formam, quam nunc habet, haud dubie ante seculum XIV. medium accepit. Unde sequitur, testimonia novem illorum *Capitum*, quae fraudi tribuenda sunt, omnino usui esse posse ad opiniones *Haereticorum* illius temporis cognoscendas: ad REINERUM vero hac in disputatione saepe recurrere necesse erit. Cetera autem, quae de levitate Scriptorum diximus, non opus est ut probemus ei, qui, et illud quod vere a REINERO profectum est, legerit, et PETRI *Monachi Cisterciensis*, STEPHANI *de Borbone*, aliorumque hominum scripta ad historiam *Haereticorum* medii aevi pertinentia.

Tertia dissensionis causa posita est in *partium studio*, quo tam Protestantes quam homines Ecclesiae Romanae addicti, inde a sacrorum instauratione, ducti et nondum plane liberati sunt. Nec sane illud magnopere mirandum est. Etenim, postquam Protestantes se ab Ecclesia illa sejunxerant, fautores ejus omnes vires intendebant, ut desertorum, quos dicebant, causam opprimerent. LUTHERUM igitur, CALVINUM aliosque reformatores, auctores esse perhibebant doctrinae novae sibique ante incognitae: Hi vero, ut rem suam defenderent, provocabant ad *Haereticos* medii aevi, inter quos jam sibi viae duces invenisse vide-

(1) *L. l.* p. 599. nota *l.*

bantur (1). Nec negari poterat sententiam eorum, pro magna parte, convenire cum placitis, quae varii illius temporis homines professi essent. Sed ut Protestantes laudes sectarum, quae se Ecclesiae opposuerunt, plus semel sermone exaggerabant; sic etiam Romano-Catholici, quo melius hos suos adversarios refellerent, criminationibus falsis adeoque ridiculis easdem sectas haud raro petebant.

§ 3.

Oppugnatio Ecclesiae Romanae Albigensibus, qui dicuntur, et Valdensium sectae communis.

Jam dissensionis, quae inter viros doctos exstitit, causis expositis, quaestionem ipsam aggrediamur! Oppugnationem Ecclesiae Romanae *Valdensium* sectae cum *Albigensibus* communem fuisse, jam intelligere possumus ex necessitudine, quae hanc inter et ceteros *Haereticos* intercessit. Iisdem enim in Galliae, aliarumque regionum tractibus commorata est, iisdem decretis damnata (2), iisdem

---

(1) Digna sunt quae describantur verba USSERII: *Antiquae*, ait, *vero religionis restauratoribus* NOVITATEM *exprobant veteratores eosque affirmant* (*catholici*) *seculis omnino quindecim, non oppidum, non villam, non domum reperire imbutam doctrina sua. Et quasi res posita fuisset extra omnem controversiam, constare manifeste asserunt, neminem toto orbo mortalium anle* MARTINUM LUTHERUM, *hoc est ante annum Domini Christi* 1517. *exstitisse, qui eam fidem teneret, quam* LUTHERI, CALVINI, *aut aliorum haeresiarcharum* (*quos appellant*), *discipuli profitentur. Imo ipsi, ait Bristous, fateantur necesse est Ecclesiam suam nunquam in orbe exstitisse; nunquam, inquam, nullo omnino tempore, ante tempus hoc nostrum.* Vide *Epistolam dedicatoriam* operis supra laudati.

(2) Describenda hic sunt duo, ad quae infra plus semel revertemur. Alterum est decretum LUCII III. Papae Romani anno 1184. in quo legimus: *Ad abolendam diversarum haeresum pravitatem, quae in plerisque mundi partibus, modernis coepit temporibus pullulare, vigor debet ecclesiasticis excitari: cum nimirum imperialis fortitudinis suffragante potentia, et haereticorum protervitas in ipsis falsitatis suae conatibus elidatur, et catholicae simplicitatis veritas in Ecclesia sancta resplendens, eam utique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam. Ideo-*

armis petita, ut ad Ecclesiam reduceretur, vel exstirparetur. Quae quidem locum non habitura fuisse credo, nisi opem tulisset aequalibus, qui cum *Hierarchia* certarent. Sed ubi rerum testimonia adsunt, non opus est ratiocinatione. Scriptores enim veteres talia nobis tradunt, ut non dubitandum sit, quin *Valdenses*

---

que nos, carissimi filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris, semper augusti, praesentia pariter et vigore suffulti, de communi consilio fatrum nostrorum, nec non aliorum patriarcharum, archiepiscoporum, multorumque principum, qui de diversis mundi partibus convenerunt: contra ipsos haereticos, quibus diversa vocabula diversarum indidit professio falsitatum, praesentis decreti generali sanctione consurgimus, et omnem haeresim quocumque nomine censeatur, per hujus constitutionis seriem, authoritate apostolica condemnamus.

Inprimis ergo Catharos et Patarinos, et eos, qui se Humiliatos vel Pauperes de Lugduno, falso nomine, mentiuntur, Passaginos, Josepinos, Arnaldistas, perpetuo decernimus anathemati subjacere. Et quoniam nonnulli sub specie pietatis, virtutem ejus, juxta quod ait Apostolus, denegantes, authoritatem sibi vindicant praedicandi: cum idem Apostolus dicat: quomodo praedicabunt, nisi mittantur? omnes, qui vel prohibiti, vel non missi, praeter authoritatem ab apostolica sede, vel Episcopo loci susceptam, publice vel privatim praedicare praesumpserint; et universos, qui de sacramento corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate, seu peccatorum remissione, aut de matrimonio, vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat, et generaliter quoscumque eadem Romana ecclesia vel singuli Episcopi per dioeceses suas, cum consilio clericorum, vel clerici ipsi sede vacante, cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum, haereticos judicaverint, pari vinculo perpetui anathematis innodamus. Receptores et defensores eorum, cunctosque pariter, qui praedictis haereticis ad fovendam in eis haeresis pravitatem, patrocinium praestiterint aliquod, vel favorem, sive, consolati, sive credentes, sive perfecti, seu quibuscumque superstitiosis nominibus nuncupentur, simili decernimus subjacere sententiae. Vide MANSI *consiliorum sacr. coll.* Tom. XXII. p. 476. 477.

Alterum quarta est constitutio FRIDERICI II. Imperatoris, quae in *Codice Just. de Haeret. et Manicheis et Samaritis.* tit. V. ad legem 19 sic traditur: *Catharos, Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Josepinos, Garatenses, Albanenses, Franciscos, Begardos, Commissos, Valdenses, Romanolos, Communellos, Varinos, Ortulenos, cum illis de Aqua nigra, et omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad eorum successionem pervenire non possint, cum longe sit gravius aeternam, quam temporalem offendere majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi, ad mandatum Ecclesiae, juxta considerationem suspicionis qualitatemque personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur; ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut haereticos condemnamus.*

aeque atque *Haeretici*, qui *Albigensium* nomine appellantur, acerrimos se Ecclesiae Romanae adversarios praestiterint.

Ad nostra tempora pervenerunt scriptores, quorum in libris, certum et exploratum est, *Albigensium*, qui dicuntur, res memorari: PETRUS *Monachus* supra excitatus et GUILIELMUS *de Podio Laurentii*, quibus omnino addatur *liber Sententiarum inquisitionis Tholosanae*, ex *Archivis* Inquisitionis illius depromtus, qui continet judicia adversus *Albigenses* lata (1). Pariter nobis praesto sunt, qui sine controversia de *Valdensibus* scripserunt: REINERUS, qui ipse inter principes *Catharorum* sectae fuit, sed eam deseruit, cum genuinus, tum adulterinus; *Anonymus* auctor *Tractatus de haeresi Pauperum de Lugduno*, vel potius Monachus dominicanus YVENOTUS (2); ALANUS, in opere *contra Haereticos, Waldenses, Judaeos, Paganos* (3); et hic laudare possumus *librum Sententiarum*, quippe qui *Valdensium* opiniones haud raro lectoribus proponit, eos semper nominatim discernens a ceteris *Haereticis*.

Jam si haec scripta ad comparationem faciendam adhibemus, *Valdenses* easdem saepe Romanorum doctrinas aggressos esse videmus, quas *Albigenses* oppugnantes inducantur. Quid? quod hoc in certamine adeo secum invicem convenire deprehenduntur, ut iisdem plus semel utantur verbis et loquendi formulis. Nonnulla loca, age! in medium proferamus!

Albigenses quanto odio habuerint Ecclesiam Romanam ejusque rectores et prin-

(1) Cf. LIMBORCH ab init. praef. Mirabuntur fortasse nonnulli, silentio a nobis praeteriri LUCAE *Tudensis libros tres adversus Albigensium errores in Bibl. Patrum.* Tom. XXV. p. 193 sqq. et alia scripta similia. Sed hoc de industria factum esse, ne confusioni implicaremur, quam distinguendi negligentia sibi pepererunt haud pauci viri docti, probabitur, uti spero, iis, quae infra disputabimus.

(2) *d'Argentré, Collectio Judiciorum de novis erroribus.* Tom. I. p. 95. cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 552.

(3) Lib. II. *adversus Waldenses.* Operum. p. 258.

cipes, clericorum nomine dictos, testis nobis sit PETRUS *Monachus*, scribens: *Fere totam Romanam Ecclesiam speluncam latronum esse dicebant, et quia ipsa erat meretrix illa, de qua legitur in Apocalipsi* (1). Item *liber sententiarum: Audivit* (PETRUS NICHOLAY *de Verduneto*) *verba et doctrinam heretici, quod Ecclesia hereticorum erat bona, et salvabat, et Ecclesia Romana erat mala, et nullus poterat salvari in ea* (2). Paulo inferius (3) Inquisitores PETRUM *Auterii*, virum inter *Albigenses* eminentem, variis nominibus condemnant, inter alia dicentes: *Duas quoque confingis Ecclesias, unam benignam, quam dicis esse sectam tuam et Ecclesiam Jesu Christi, eamque habere fidem, in qua omnis et sine qua nullus pervenit ad salutem; aliam vero malignam, Romanam Ecclesiam, quam esse dicis inpudenter matrem fornicationum et basilicam dyaboli et sathane sinagogam, que revera est mater omnium fidelium et magistra, cujus omnes gradus et ordines ac ejus ordinationes et statuta proquaciter depravas menciendo, omnesque qui fidem ejus sequntur et tenent versa vice apellas hereticos et errantes, nec aliquem posse salvari in fide Romane Ecclesie tam nephande quam inpie dogmatizas.* Plura loca similia describere non opus est (4). Jam eadem crimina *Valdensibus* eodem in libro (5) imputantur: *Praelatis*, inquit auctor, *Romane Ecclesie detrahentes, statum eorum reprobant et condempnant, dicentes eos esse cecos et duces cecorum, et non servare Euangelii veritatem nec sequi apostolicam paupertatem. Ipsamque Romanam Ecclesiam domum esse mendacii mordaciter menciuntur.* Convenit YVENOTI testimonium (6): *Romanam Ecclesiam dicunt esse meretricem.*

---

(1) DUCHESNE. *Hist. Franc. Scriptt.* Tom. V. p. 556.
(2) *L. c.* p. 88, 89.
(3) p. 92.
(4) Cff. p. 37, 249 alibi.
(5) p. 264.
(6) Apud MARTENE et DURAND *Anecd.* Tom. V. p. 1779.

Babilon, et omnes ei obedientes damnari. Omnes clericos et eis obedientes a tempore B. Silvestri papae dicunt esse damnatos. — — Episcopos, et clericos, et religiosos dicunt esse Scribas et Pharisaeos, apostolorum persecutores. Nec negligendum est quod habet REINERUS (1); *dicunt, quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia Jesu Christi, sed sit Ecclesia malignantium: et quod defecerit sub Sylvestro, quando venenum temporalium infusum est in Ecclesiam. Et dicunt, quod ipsi sint Ecclesia Christi: quia Christi doctrinam, Euangelii et Apostolorum verbis et exemplis observent. Quod omnia vitia et peccata in Ecclesia sint: quod ipsi soli juste vivant. Quod doctrinam Euangelicam poene nullus servet in Ecclesia praeter eos. — — Quod ipsi sint Ecclesia Jesu Christi. Quod Romana Ecclesia sit meretrix in Apocalypsi propter superfluum ornatum, quem Ecclesia Orientalis non curat. — — Quod Papa sit caput omnium errorum. Quod praelati sint scribae, et religiosi Pharisaei. Quod Papa et omnes Episcopi sint homicidae propter bella. Quod non sit obediendum praelatis, sed tantum Deo.* Hic quoque in censum veniunt, quae GUILIELMUS *de Podio Laurentii* scriptioni suae de *Albigensibus* praefatur, *erantque*, dicens, *quidam Ariani, quidam Manichaei, quidam etiam Waldenses sive Lugdunenses, qui, licet inter se dissides, omnes tamen in animarum perniciem contra fidem Catholicam conspirabant. — — Capellani autem tanto contemptui habebantur a laïcis, quod eorum nomen ac si judaei essent in juramentum a pluribus sumebatur. Unde sicut dicitur: mallem esse judaeus; dicebatur: mallem esse Capellanus, quam hoc vel illud facere.*

Quae cum ita sint, credibile quoque est, *Valdensibus* eundem contemtum rituum, qui a Sacerdotibus et Monachis peragerentur, objectum esse atque *Albigensibus*. Et sane vel unus nobis sufficit locus PETRI *Monachi* ad intelligen-

---

(1) *L. c.* p. 265.

dam sententiam, quam hac de re *Albigenses* foverunt et propagarunt. Ait enim (1): *Sacramenta Ecclesiae usque adeo annullabant, ut sacri baptismatis undam, ab aqua fluviali non distare; sacrosancti corporis Christi hostiam a pane laïco non differre, publice dogmatizarent; simplicium auribus hanc instillantes blasphemiam, quod Christi corpus, etsi magnitudinem Alpium in se contineret, jam dudum consumptum a comedentibus et adnichilatum fuisset. Confirmationem, confessionem, frivolas esse et inanes omnino reputabant* (2). Idem autem placuisse *Valdensibus*, apparet ex verbis YVENOTI: *dicunt tunc hominem primo baptizari vere, cum in eorum haeresim fuerit inductus* —— *Confirmationis Sacramentum respuunt, sed magistri eorum imponunt manus discipulis vice illius Sacramenti*, —— *Corpus Christi et sanguinem non credunt vere esse, sed tantum panem benedictum, qui in figura quadam dicitur corpus Christi, sicut dicitur, Petra autem erat Christus, et simile.* —— *Dicunt quod peccator sacerdos non possit aliquem solvere et ligare, cum ipse sit ligatus peccato, et quilibet bonus et sciens laïcus possit alium absolvere et poenitentiam imponere. Unctionem extremam respuunt, dicentes potius fore maledictiones quam Sacramentum* (3). Similia reperiuntur apud REINERUM (4) et *in libro sententiarum* (5).

Quemadmodum autem *Valdenses* pariter atque illi, qui *Albigenses* vocantur, cum Ecclesia Romana disputarunt de ritibus variisque rebus sacris ibi usitatis; sic de eo quoque inter se consenserunt, quod nonnulla improbabant doctrinae moralis capita, quae Ecclesia illa sequebatur. Exemplo nobis sit quod de *mendacio* et *jurejurando* praeceperunt. Utrumque enim homini Christiano

(1) *L. c.* p. 556.
(2) Cf. *liber Sentent.* p. 152.
(3) *L. l.* p. 1779.
(4) *L. c.* p. 265.
(5) *L. c.* p. 201, 290, 291 *alibi.*

interdictum esse statuebant *Albigenses*, secundum PETRUM *Monachum*, cujus verba sunt: *non mentientes videri volebant, cum ipsi maxime de Deo quasi continue mentirentur. Dicebant etiam quod nulla unquam ratione debeant jurare* (1). *Valdensibus* eandem opinionem tribuit ALANUS de iis scribens (2): *est et alius praedictorum error, quod asserant, quod omne mendacium est peccatum mortale;* et (3) *asserunt etiam praedicti Haeretici, nullo modo esse jurandum.* Quod quomodo alii confirment scriptores (4), brevitatis causa praetermittimus. Hoc unum addendum videtur, PETRUM *Monachum*, postquam placita eorum, qui *Albigenses* dicuntur, et *Valdensium* recensuerit, orationem sic persequi: *Haec nos de sectis Haereticorum breviter excerpsisse sufficiat. Quando aliquis se reddit Haereticis, ille dicit qui recipit eum: Amice si vis esse de nostris, oportet ut renuncies toti fidei, quam tenet Romana Ecclesia. Respondet: Abrenuntio* (5). Unde tam evidenter probantur, quae adhuc de consensu eorum disputavimus, ut plura in medium afferre non opus sit.

Ecclesiae Romanae doctrinas a *Valdensibus* oppugnatas esse, docent etiam scripta eorum, quae § 2 memoravimus. Praesertim in mente habemus *Catechismum*, quo doctrina eorum continetur (6), *tractatum de Sacramentis* (7), disputationes de *Antichristo*, de *Purgatorio*, de *invocatione sanctorum* etc. (8). Quamvis enim haec monumenta recentioris aetatis sunt, quam LEGERUS aliique opinantur; eam tamen antiquitatem attingunt, ut nullo laboremus scrupulo

(1) *L. c.* p. 556,
(2) *L. c.* 268.
(3) p. 269.
(4) Cff. YVENOT: *l. c.* p. 1780. REINERUS *l. c.* p. 266.
(5) *L. c.* p. 557.
(6) Vide LEGERUM *l. c.* p. 58.
(7) Ibid. p. 64.
(8) Ibid. p. 71, 83, 87.

quin de veterum *Valdensium* placitis consuli mereantur. Utique nunc non disputatur de tempore, quo haec secta se Ecclesiae Romanae opponere inceperit; sed quaestio tantum agitur, an hoc revera certamen cum iis, qui *Albigenses* nuncupantur, habuerit commune. Quod ut efficerem, ipse quoque ad testimonia tam decimi tertii seculi, quam antiquiora provocare non dubitavi. Ceterum *Valdenses* hanc rationem disputandi iniisse nemo quidem intelligens, quantum scio, negavit; sed hac de re mihi paulo enucleatius agendum videbatur, ut praepararem quae infra probanda erunt.

§ 4.

Valdensium secta ab iis, qui Albigenses dicuntur, discernenda.

Quamvis tam communis *Valdensibus* et iis, qui *Albigenses* dicuntur, oppugnatio fuit Ecclesiae Romanae; secta tamen illa ab his discernenda est. Necessitudo enim, cujus tanquam vinculo conjungebantur, unice spectavit certamen, quod cum Sacerdotibus et Monachis agendum erat: ceterum vero, quoad sentiendi et vivendi rationem, in partes abierunt diversissimas. Hujus diversitatis imaginem, quamquam obscuriorem, nobis referunt instaurationis Sacrorum tempora, quibus LUTHERUS, CALVINUS, SOCINUS eorumque adjutores et sectatores, errores Ecclesiae Romanae pariter aggressi sunt, et multis tamen nominibus inter se de religione discreparunt. Quemadmodum autem hi viri communionem suam luci debuerunt, quae divinitus iis affulgebat et perspicuas faciebat fraudes et superstitiones, quibus societas Christiana adeo depravata erat, ut doctrinae antiquae vix superessent vestigia; sic medio quoque aevo homines vehementer inter se dissentientes ad manus jungendas incitavit lux veri, per te-

nebras densissimas animis injecta. Sed cum non omnes hanc lucem eâdem cura et diligentia sequerentur, facile factum est, ut pro veteribus erroribus novi substituerentur. Quam si culpam sibi contraxerunt plerique, qui vulgo *Albigensium* nomine dicuntur, *Valdenses* certe non item. Hos enim ab illis distinguendos esse tribus docemur argumentis. Attendere nimirum debemus ad *diserta testimonia, quae veteres de iis dederunt;* ad *Haereticorum variorum turbas, a quibus discernuntur; ad historiam eorum nobis traditam.*

§ 5.

Valdensium sectam Veteres ab iis, qui Albigenses dicuntur, perspicue distinguunt.

Incipimus a *disertis, quae Veteres de Valdensium secta dederunt, testimoniis.* Haec enim talia sunt, ut et eam perspicue distinguant ab hominibus, vulgo *Albigensibus* dictis, et alia ei placita quam illis tribuant.

Perpauca sunt loca, ubi *Veteres Valdensium sectam ab iis, qui Albigenses dicuntur, distinguunt.* Et primum quidem, quamquam recentioris aetatis homines de *Valdensibus* et *Albigensibus* saepissime uno ore locuti sunt, et ad hunc usque diem loquuntur; nullo tamen in libro antiquitatis, quod probe animadvertendum est, nomina eorum juxta se posita invenire nobis contigit. Fortasse quis nobis ita occurret, in *additamentis ad concilium Lateranense III,* sub ALEXANDRO III habitum, haec legi verba: *In concilium Lateranense III oecumenicum et universale undecimum approbatum, trecentorum Episcoporum, pro reformanda in fide et moribus ecclesia, contra haereses Catharorum, (quos Waldenses et Albigenses alii appellant) et schismaticos ab antipapis ordinatos, celebratum anno Domini*

MCLXXIX tempore Alexandri Papae III et Frederici Imperatoris I; sed ibi *Waldensium* appellationem longe post ab imperito homine insertam esse, ex eo intelligimus, quod nec in ipso Concilii illius *Capitulo XXVII de haereticis* ulla damnationis eorum vestigia apparent; nec alibi nobis traditum est, eos ante quam LUCIUS III sedem Papalem occupasset, hujusmodi condemnationem subiisse (1). Quare haud temere editor se nescire ait, quonam auctore BELLARMINUS aliique locum ita ediderint (2). Eodem modo judicandum est de titulo librorum ALANI *contra Albigenses, Waldenses etc. quem in editione* CAR. DE VISCH substitutum reperimus pro inscriptione vera, ab ipso ALANO praefationi adjecta et supra (3) a nobis tradita. Hanc enim veram esse unicuique patebit, qui libros illos modo leviter oculis percurrerit, quippe in quibus nulla prorsus mentio nominis *Albigensium* injiciatur. Nec fides habenda est VINCENTIO apud PISTORIUM (4) narranti, ALANUM *de insulis, doctörem illum famosum, scriptorem Anteclaudiani, qui in Theologia fecit artem quandam praedicandi, contra Albigenses, Waldenses, Judaeos et Saracenos libellum edidisse succinctum.* Viris doctis autem, qui depravatum titulum descripserunt, uti SCHROECKHIUS (5), fraudem haud dubie fecit perversa nominis *Albigensium* interpretatio. At prorsus me fugit, quid acciderit RICCHINIO scribenti. »PETRUS *Vallecern.* qui florebat A° MCCVI ac utramque sectam penitissime noverat, utriusque comparationem iustituens post exhibitos *Albigensium* errores haec habet Cap. 6. *sunt etiam alii Haeretici, qui nominantur Valdenses a quodam Luqdunensi Uvaldo, e quibus ali-*

---

(1) Cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 533. et GIESELER. *l. c.* p. 556 et 557.
(2) Vide MANSI, *sacrorum conciliorum collectionis.* Tom. XXII. p. 242.
(3) Vide § 3.
(4) *Magnum Chronicon Belgicum ad annum* 1202.
(5) Ibid. p. 537.

qui sunt mali, sed aliorum, nempe Albigensium comparatione, multo minus perfidi; nam nobiscum in multis rebus concordant etc (1)." Profecto nihil Cap. VI illius operis legitur, quod horum verborum simile sit. Sed RICCHINIUS locum *Capitis* II, quem paulo inferius (2) afferemus, memoriter descripsit, ita ut et alia verba pro lubitu mutaret et orationi temere adjiceret *nempe Albigensium.* Ut autem nomina *Waldensium* et *Albigensium* juxta se posita non sunt, sic frustra quoque quaesivimus libros veteres, ad refutationem *Haereticorum* scriptos, in quibus *Albigenses* et *Valdenses* simul nominentur. Forte quis huc referet REINERI librum, *contra Waldenses* inscriptum, et iis quoque oppositum, at (3) *Albigenses* tamen diserte memorantem; sed, haud dubie, pro plurali *Albigenses* corrigendum est singulare *Albigensis*, ut nihil aliud significetur quam *Ecclesia Albigensis*, distinguenda a *Tholosana* aliisque (4).

In promtu est causa, cur antiquis *Haereticorum* oppugnatoribus non usitatum fuerit voces *Valdensium* et *Albigensium* eadem in oratione aut scriptione componere; sed infra demum eam pro nostra sententia explicare licebit. Nunc pauca illa lustremus loca, ubi *Valdenses* ab iis, quos ad *Albigenses* referre solent; distinguuntur. Contendere haud veremur, distinctionem esse *perspicuam.* Quam-

---

(1) RICCHINIUS, *l. c.* p. XLIV.

(2) pag. 21.

(3) *L. c.* Cap. VI. p. 269. C.

(4) ALBIGENSIS editum est in *summa* REINERI *de Catharis et Leonistis apud* MARTENE *et* DURAND, *in thesauro Anecdotorum.* Tom. V. p. 1768. ubi legimus: *Ecclesia Franciae morantur Veronae et in Lombardia; et sunt circiter CL. Ecclesia Tolosana, et Albigensis, et Carcassonensis, cum quibusdam, qui olim fuerunt Agennensis ecclesiae, quae fere destructa est, sunt fere CC.* Sed alibi quoque scribendi vitium irrepsit. ANTONINUS nempe in IV Part. *Summ. Suae.* Tit. II. Cap. 7. apud SANDERUM, *de Visibili Monarchia Ecclesiae* Lib. VII. p. 483. perperam scripsit: *Albigenses, Bagnolenses*, et *Concordenses in multis erroribus conveniebant.* cf. p. 479. Ita et PRISCIANUS apud MURATORIUM *l. c.* p. 93. narrat: *eisdem fere temporibus tres viguisse sectas, Albigensium scilicet, illorum de Bagnolo et illorum de Concoretio.* Cf. MOSH. *l. c.* p. 483.

vis enim ibi quoque *Albigensium* nomen non legitur, satis tamen superque constat, eos ab auctoribus significari.

Audiamus igitur PETRUM *Monachum*, qui in *Historia Albigensium*, variis erroribus notatis, sic pergit: *Erant praeterea alii Haeretici, qui Waldenses dicebantur, a quodam Waldio nomine Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum Haereticorum, longe minus perversi: in multis enim nobiscum conveniebant, in aliquibus dissentiebant* (1). Cui loco si nulla adjungi possent alia, quibus distinctio *Albigensium* et *Valdensium* confirmaretur, nihil tamen ad conclusionem faciendam desideraremus, si quidem hîc habemus testimonium viri, qui omnia ipse vidit oculis. Et auctorem a vero non aberrasse ignorantia aut festinatione, luculenter docent ea, quae multo inferius (2), in narratione expugnationis castri *Mauriliaci*, scripsit: *videntes illi de Castro, quod amplius resistere non valerent, reddiderunt se ipsa die Legato, ad ipsius per omnia voluntatem: nostri vero, de voluntate Legati, Castrum penitus destruxerunt. Nec silendum, quod ibi invenimus septem Haereticos, de secta illa, quae Waldensium dicebatur, qui ad Legatum adducti, suam incredulitatem plenius sunt confessi, quos nostri arripientes peregrini cum ingenti gaudio combusserunt.* Cum his consentiunt verba *Chronici*, vulgo SIMONIS *Comitis Montis-fortis* nomine editi, quod de exstirpatione *Albigensium* agit: *anno domini millesimo ducentesimo decimo quarto, Comes* SIMON *Montis-fortis, cum exercitu Cruce-signatorum Dei, caepit haec Castra, quae sequuntur; in quibus hostes fidei, et Ecclesiae, aut pacis turbatores, et Ruptarii habitabant, et refugiebant: videlicet Mauviliacum* (3) *Castrum, quod est in dioecesi Ruthenensi, quod poenitus destructum fuit, in quo inventi fuerunt septem*

(1) *L. c.* p. 557.
(2) Ibid. p. 649.
(3) Lege *Mauriliacum*.

Haeretici perfecti, de secta Valdentium, qui ibidem coram Domino Roberto Legato perducti, suam perfidiam sunt confessi, a qua nolentes recedere, a peregrinis Cruce signatis combusti fuerunt ibidem (1). In censum quoque venit *liber sententiarum*, ubi auctor, judicia exhibens in *Albigenses* lata, *Valdenses* haud raro nominatim excitat. Uno defungamur exemplo; De *Haereticis* nempe locutus, sic pergit: STEPHANUS *porcherii, filius quondam* GUILIELMI *Gebennensis, oriundus de Lugduno salinerio in Burgundia conversus ab heresi secte Valdensium seu pauperum de Lugduno, sicut legitime nobis constat per ipsius confessionem factam in judicio, anno Domini M° CCC° XIIII° in mense Febroarii, fuit olim receptus ad sectam et ritum Valdensium qui alias dicuntur pauperes de lugduno, per quendam Valdensem, qui vocabatur* CRISTINUS *presentibus aliis Valdensibus quos in confessione sua nominat, secundum modum et ritum recipiendi Valdensium ad dictam sectam in qua fuit et perseveravit, servando et tenendo eam per septem annos vel circa comedendo et bibendo et conmivendo et participando cum aliis Valdensibus dicte secte et credentibus eorumdem, in diversis locis et villis et terris* (2).

§ 6.

Valdensium sectae Veteres alia tribuunt placita, quam iis, qui Albigenses dicuntur.

Ad loca Veterum, ubi *Valdensium* secta ab *Albigensibus* perspicue distinguitur, accedunt *ea, in quibus huic sectae alia quam illis tribuuntur placita.* Quo qui-

---

(1) DUCHESNE, *l. c.* p. 768.

(2) *L. c.* p. 200, 201. Plura hujus generis reperiuntur p. 207, 216. alibi. Lectorem autem scire volumus, me haec et alia loca ad literam descripsisse, vitiis etiam Grammaticis, quae commisserunt auctores, non emendatis.

dem non significamus, his hominibus dissensiones tribui de rebus minutioribus. Quotusquisque enim est, qui nesciat, neminem esse mortalium, quin opiniones habeat sibi privas et peculiares? Quis non meminerit etiam, sectatoribus CHRISTI, qui societatem religionis iniverunt, nonnulla superesse solere loca, quae alii aliter accipiant? Sed loquimur nunc de doctrinarum capitibus, unde omnis pendeat rerum divinarum ratio. Et haec sane si a *Valdensium* secta ita intellecta sunt, ut prorsus ab iis discederet, qui dicuntur *Albigenses;* clarissimo ex indicio novimus, hanc ejusdem non fuisse familiae, ad quam illi vulgo pertinuisse censeantur.

Testium princeps nobis hîc etiam est PETRUS *Monachus*, cujus verba quidem longiora, sed hîc tamen describenda sunt: quoniam, et arcte cohaerent, et *Albigensium*, qui dicuntur, doctrinam copiosius nobis exhibent, quam illa alibi exponitur. Haec igitur de iis tradit: *Primo sciendum, quod Haeretici duos constituebant creatores: invisibilium scilicet, quem vocabant benignum Deum; et visibilium, quem malignum Deum nuncupabant. Novum Testamentum benigno Deo, Vetus vero maligno attribuebant, et illud omnino repudiabant, praeter quasdam auctoritates, quae de Veteri Testamento Novo sunt insertae, quas, ob Novi reverentiam Testamenti, recipere dignum estimabant. Auctorem Veteris Testamenti mendacem asserebant, quia protoplastis dixit: quacunque die comederitis de ligno scientiae boni et mali, morte moriemini, nec (sicut dicebant), post comestionem, mortui sunt; eum (cum) tamen revera, post gustum pomi vetiti, mortis miseriae fuerunt subjecti. Homicidam quoque ipsum nominabant; tum quia Sodomitas et Gomorrhaeos incineravit, et aquis diluvii mundum delevit; cum quia Pharaonem et Aegyptios mari obruit. Omnes Veteris Testamenti Patres damnatos affirmabant.* JOANNEM *Baptistam unum esse de majoribus daemonibus asserebant. Dicebant etiam in secreto suo, quod* CHRISTUS *ille, qui natus est in Bethleem terrestri et visibili, et in Hierusalem crucifixus, malus fuit; et quod* MARIA

Magdalena fuit ejus concubina, et ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua legitur in Euangelio. Bonus enim CHRISTUS *(sicut dicebant) nunquam comedit vel bibit, nec veram carnem assumpsit: nec unquam fuit in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore* PAULI. *Ideo autem diximus in Bethleem terrestri et invisibili (in visibili), quia Haeretici fingebant esse aliam terram novam et invisibilem, et in illa terra, secundum quosdam, bonus* CHRISTUS *fuit natus et crucifixus. Item dicebant Haeretici, bonum Deum duas habuisse uxores,* COLLANT *et* COLIBANT, *et ex ipsis filios et filias procreasse. Erant alii Haeretici, qui dicebant, quod unus est creator, sed habuit filios,* CHRISTUM *et diabolum. Dicebant et isti, omnes creaturas bonas fuisse, sed per filias, de quibus legitur in Apocalipsi, omnia fuisse corrupta. Hi omnes membra Antichristi, primogeniti sathanae, semen nequam, filii scelerati, in hipocrisi loquentes, mendacio corda simplicium seducentes, Provinciam Narbonensem, veneno suae perfidiae infecerant. — — Resurrectionem quoque carnis diffitentes, quasdam adinventiones confingebant inauditas: dicentes, animas nostras esse spiritus illos angelicos, qui, per superbiae apostasiam praecipitati de coelo, corpora sua glorificata in aëre reliquerunt, et ipsas animas, post successivam qualiumcumque corporum septem et terraenorum inhabitationem, quasi tunc demum penitentia peracta, ad illa relicta corpora remeare* (1). Jam hisce accurate lectis, compertum nobis erit, auctorem alios *Haereticos* ab aliis distinguere. Nec plura tamen quam duo hîc invenire nobis videmur genera, sectatores nempe *Manichaeismi* et *Gnosticismi.* Quae quidem nomina hîc non expressa sunt, nec tamen ea ad *Manichaeismum* et *Gnosticismum* agnoscendum necessaria ducimus, si animus attenditur ad ea, quae de utroque ad nostram notitiam pervenerunt. Quam contrarias autem partes *Valdenses* secuti sint, idem docet auctor

(1) *L. c.* p. 556.

paulo inferius (1) de iis scribendo: *ut plurima de infidelitatibus eorum omittamus: in quatuor praecipue consistebat error eorum: in portandis scilicet sandalis more Apostolorum; et in eo quod dicebant nulla ratione jurandum, vel occidendum: in hoc insuper quod asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere corpus Christi.* Fateor quidem hominum, qui Ecclesiam Romanam haud secus ac ceteri *Haeretici* aggressi sint, imaginem hoc modo leviter tantum adumbratam esse; sed scire nobis satis est, nihil iis imputari, quod *Manichaeismum* redoleat vel *Gnosticismum.* Et hactenus illud valere testimonium, nemo esse poterit, qui inficietur.

Quod PETRUS *Monachus* de *Albigensibus* tradidit, alii Veteres confirmant. GUILIELMUS enim *de Podio Laurentii* (2) Episcopum *Albiensem* cum SICARDO quodam, *Haereticorum* duce, sic facit colloquentem: *Interrogavit Episcopus, an crederet,* ABEL, *quem* CAYN *frater ejus occidit,* NOÈ *ereptum diluvio,* ABRAHAM, MOYSEM, DAVID *et caeteros prophetas ante adventum domini esse salvos? Haeresiarcha libere respondente nullum esse salvum.* Jam hanc vituperationem hominum, quorum pietas in Veteri Testamento laudatur, *Manichaeorum* propriam fuisse aliunde novimus (3). *Valdenses* vero hac culpa liberat auctor, paulo inferius (4) scribens: *Terramque* (Tolosanam) *extra repleverant Arriani, Manichaei, Haeretici et Valdenses,* ubi quisque videt, eos diserte a *Manichaeis* distingui. Quosnam in mente habuerit cum insereret *Haeretici, Gnosticos* an alios dirimere non ausim. Adeo tamen offendor hac vaga et infinita voce, in-

(1) *L. c.* p. 557.
(2) *L. c.* p. 669.
(3) Vid. EPIPHANIUS *adversus Haereses.* Lib. 2. Tom. II. p. 647. 676. 677. et DE BEAUSOBRE. *histoire critique de Manichée et du Manicheïsme.* Tom. I. p. 269 sqq.
(4) *L. c.* p. 671.

ter nomina *Arianorum*, *Manichaeorum* et *Valdensium* interposita, ut suspicer fere verba *Haeretici et Valdenses* arcte connectenda esse, et GULIELMUM dicere velle: *et Haeretici illi, qui Valdenses appellantur* (1). Favent autem huic distinctionis mutationi quae sequuntur: *sicut forte Dominus ordinabat, qui in primitiva Ecclesia non multos nobiles aut potentes secundum carnem, sed infirma mundi elegit, ut fortia quaeque destrueret, ut Episcopus pauper prodiret et pedibus ad expurgandam Haereticam pravitatem.* Atque ita alii, ut PILICHDORFFIUS (2), de *Valdensibus Haereticis* loquuntur.

Dictis fidem quoque facit *Chronicon magnum Belgicum* (3), ubi CAESARIUS inducitur haec narrans: *Anno Domini MCCVIII fit praedicatio valida praelatorum Ecclesiasticorum et pugna acerrima militarium et nobilium armatorum contra haeresim Albigensium, cujus vires tam validae erant, ut omne triticum fidei gentis illius versum videretur in lolium erroris. Missi sunt abbates ordinis Cisterciensis cum quibusdam Episcopis, qui zizania rostro catholiae praedicationis eradicarent: cujus origo a quodam haeresiarcha eorum pullulavit, qui quaedam ex dogmate* MANICHAEI, *quaedam ex erroribus, quas in περὶ ἀρχῶν scripsisse fertur* ORIGENES, *plurima etiam, quae de (l. plurima etiam de) suo corde finxerat. Adjecerunt alii alia. Communiter duo credunt cum Manichaeis principia: Deum bonum, et Deum malum, id est Diabolum, quem dicunt omnia corpora, sicut Deum bonum omnes animas creasse. Corporum resurrectionem negant, et quicquid beneficii*

---

(1) Vitiose hunc aliosque libros medii aevi descriptos editosque esse, monere non opus est. Proxime praecedit locus, qui prorsus intelligi nequit nisi pro *multos* substituatur *mulos*, ut oratio sit: *quatuor mulos, quos adduxerat, nisi guidatos, ad amnem communem ad aquatum mittere non audebat, sed aquam bibebant putei infra domum.*

(2) *Contra Haeresin Waldensium tractatus. Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 278.

(3) *L. c.* p. 200.

mortuis a vivis impenditur, irrident. Ire ad Ecclesias vel in eis orare nihil prodesse dicunt: ut deteriores sint Iudaeis et Paganis, qui illa credunt. Hîc igitur *Albigensium* nomen (quippe in *Chronico* generali, non vero in scripto singulari de expeditione in hos *Haereticos*, quale PETRO et GUILIELMO supra excitatis debetur) omnino expressum reperimus. Deinde varii quidem errores hominibus illis tribuuntur; sed ita tamen, ut perspicuum sit, errorum caput positum fuisse in *Manichaeismo*, cui adjungerentur quae fortasse a *Metempsychoseos* doctoribus potius, quam ab ORIGENE repetenda sunt, et plura alia (1). Similiter *Albigenses*, qui dicuntur, duo rerum principia, corporisque et omnis materiae pravitatem docuisse, luculenter testatur liber sententiarum (2). Sed cum neminem hodie prudentiorem negaturum esse confidam, veteres de iis, qui *Albigenses* dicuntur, hanc fovisse sententiam, plura loca excitare nihil attinet. *Valdenses* vero de Deo, mundi origine, immortalitate, aliisque capitibus doctrinae Christianae cum Ecclesia Romana dissensisse, ne vel in uno docetur hujus libri loco, in quo illi nominatim memorantur. Nec BERNARDUS *de fonte calido* (3) ceterique scriptores, qui acriter in eos, utpote *Haereticos*, invehuntur, alios iis imputant errores gravioris ponderis, quam qui plerisque etiam Protestantibus inde a sacrorum instauratione objecti sunt. Quae autem in contrariam partem disputari possunt, infra § 9 refellere conabimur.

---

(1) Cff. *Centuriatores Magdeburgenses. Cent.* XIII. p. 555.
(2) P. 36. 37. 92. 178. 179. *alibi.*
(3) *Bibl. Patr.* Tom. XXIV. p. 1585 sqq.

§ 7.

Variorum Haereticorum turbae, a Veteribus, praeter Albigenses, memoratae.

Nusquam in libris Veterum, qui ad Ecclesiae doctrinam defendendam conscripti sunt, *Albigenses* nominatim *Valdensibus* opponi, ibique loca quoque, ubi illi, nomine non expresso, ab his distinguantur, haud ita multa esse vidimus: sed eorum, ad quae perlustranda nunc vocamur, ingens exstat copia. Loca dicimus, in quibus variorum *Haereticorum* turbae gravioris erroris, inprimis *Manichaeismi* vel *Gnosticismi*, accusantur, vel ad fautores horum placitorum referuntur: tum vero alia, quae *Valdenses* ab *Haereticis* illis perspicue distinguunt. Cum autem hac distinctione non comprehendantur *Albigenses*, eâdem ignominiae nota ab aliis insigniti, ratio sic concludenda erit, inter hos omnino et *Valdenses* interesse.

Primum contemplari oportet *Variorum Haereticorum turbas, a Veteribus, praeter Albigenses, memoratas.* Quod ut per se magnae molis opus est, ita molestius redditur difficultatibus, quas hominum mala sedulitas peperit. In limine nobis occurrunt *Decretum* LUCII, et *Constitutio* FREDERICI, quae supra exhibuimus (1). Accedit decretum S. P. Q. R. (2) ubi haec legimus: *Capitula* ANNIBALDI *Senatoris, et Populi Romani edita contra Patarenos omnes. Haeretici in urbe, videlicet Cathari, Patareni, Pauperes de Lugduno, Passagini, Joseppini, Arnaldistae, Speronistae, et alii cujuscunque Haeresis nomine*

---

(1) In annotatione. p. 10, 11.

(2) Vide *Annales Ecclesiasticos* ODORICI RAYNALDI. Tom. XIII. p. 415.

censeantur, credentes, receptatores, fautores et defensores eorum in urbe singulis annis a senatore, quando regiminis sui praestiterit juramentum, perpetuo diffidentur. Multi hîc quidem inducuntur *Haeretici.* Sed nullum horum scriptorum, aut omnes comprehendit, qui hîc in censum venire debent, aut sibi cavit, ne unius ejusdemque sectae diversa nomina cum diversarum sectarum nominibus confunderet (1). Satis plana nobis esset progrediendi via, si fidem mereretur quod contendit *Pseudo*-REINERUS: *Nota, quod sectae Haereticorum fuerunt plures, quam LXX. quae omnes, per Dei gratiam, deletae sunt, praeter sectas Manichaeorum, Arianorum, Runcariorum et Leonistarum, quae Alemanniam infecerunt* (2). Sed, uti hoc testimonium tempora jam recentiora et unam GERMANIAM spectat, ita ex collatione horum verborum cum capite I et iis, quae infra disputanda sunt, apparebit, levissimo homini credendum non esse. Nihil aliud mihi restat, quam, *Haereticorum* recensione habita, silentio praeterire eos, quorum origines et opiniones prorsus in obscuro latent, ceteros vero, quantum possum, ad sua genera referre et longius breviusve in eorum historiam inquirere, prout illa magis minusve ad institutam quaestionem pertinet.

Breves igitur nobis esse licebit de *Arnoldistis*, sectatoribus, ut vulgo statuitur, ARNOLDI *de Brescia*, haud vero, ut opinatus est L'ENFANT (3), ARNOLDI *de villa Nova*, qui demum mortuus est anno 1313 (4). Hi enim eodem quidem in loco ac *Valdenses* plus semel memorantur, sed nusquam, quantum novimus, inter amicos vel inimicos eorum numerantur. *Petrobrusianos* autem quod attinet et *Henricianos*; jam diu, antequam *Valdenses* prodierant, exstincti

---

(1) Cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 513 sqq.
(2) *L. c.* Cap. IV. p. 264.
(3) *L. c.* p. 49.
(4) Cf. SCHROECKH. *l. c.* Tom. XXXV. p. 546.

fuisse videntur: quare mirandum non est, nec LUCIUM Pontificem, nec Senatum Romanum, nec FREDERICUM Imperatorem, in *Haereticorum* recensione nomina eorum attigisse. Ceterum tres illae sectae, quas ab aliis jure meritoque distinguit GUERIKE (1), quamvis in studio reformandae Ecclesiae non ab omni parte recte versatae erant, *Valdensibus* tamen lucem attulisse censendae sunt.

Ad quaestionem hujus loci magis pertinerent *Passagii*, si verum esset quod vulgo sumitur, in iis cerni sectam *Catharorum*, de quibus infra dicendum erit (2): sed vehementer vereor, ne viri docti errorem commisserint. Iidem sine dubio sunt, qui alibi vocantur *Pasagini*, *Passagini*, *Passageni*, *Passagerii*, *Pasagii*. Nomina autem plerique interpretantur *per itinera errantes*, *vagabundi* (3): interpretari fortasse praestat *omnino sancti*, ut a voce infimae Graecitatis πασάγιος deriventur (4). Quod vero, si Graecam sectae ostendit originem, placita tamen ejus non illustrat. Sed quid sibi voluerint, intelligere possumus ex appellatione *Circumcisorum*, iisdem sine dubio hominibus tributa (5). Hoc enim nomen gesserunt, quoniam inter placita eorum eminebat studium circumcisionis Mosaicae, quam cum ritibus et doctrinis Christianorum conjungendam esse censebant (6). Quod luculenter ostendit eos omnino distinguendos esse a *Catharis*, qui circumcisionem cum omnibus ritibas Mosaicis unanimi voce detestaban-

---

(1) *L. c.* p. 469 sqq.

(2) RICCHINIUS. *l. c.* p. XVII. GIESELER. *l. c.* p. 549, 550. SCHMID. *der Mysticismus des Mittelalters* p. 437 alii.

(3) USSERIUS. *l. c.* p. 305, 306. WALCHIUS. *l. c.* p. 652. HENCKE et VATER, *Handbuch der allgemeinen Geschichte der Christliche kirche.* Tom. II. p. 130.

(4) Cff. du CANGE. *Glossarium ad Scriptores mediae et infimae Latinitatis*, in voce *Passagini*. GUERIKE. *l. c.* p. 467.

(5) In *constitutione* FREDERICI legimus *Circumcisi*, *Passagini*, ac si homines fuerint diversarum opinionum; sed haec duo esse nomina ejusdem sectae, satis superque constat. Cff. SCHROECKH. *l. c.* p. 513, 514. GIESELER. *l. c.* p. 597.

(6) BONACURSUS, *vita Haereticorum*, apud D'ACHERY. *l. c.* Tom. I. p. 211, 212.

tur (1). Hanc quoque sententiam confirmat *specimen opusculi*, quod *G. Bergomensis* circa annum 1230 (2) elucubravit, cujus non solum titulus *contra Catharos et Pasagios* alteros ab alteris distinguit, sed in quo, post refutationem *Catharorum*, haec legimus: *dicto de secta Catharorum, restat de secta Pasaginorum. Dicunt enim, Christum esse primam et puram Creaturam: et vetus Testamentum esse observandum in solennibus et in Circumcisione, et in ciborum perceptione, et in aliis fere omnibus, exceptis in sacrificiis.* Et eos non *Catharos*, sed potuis *Christianos* fuisse *Judaizantes*, negari non poterit, si ad eos referendum est, quod scripsit LAMBERTUS *Parvus* in Chronico ad annum 1210 (3). *Hoc anno pestifera haeresis illa Abnoitarum, quae diu latuerat, caput coepit erigere, et quam diu foverat haeresim manifeste propalare, et jam non in occulto, sed potius in facie Ecclesiae, totum errorem suum confiteri et defendere. Erat autem talis modus erroris eorum: Corpori et Sanguini Domini detrahebant, non sufficere ad salutem asserebant, et cetera Sacramenta Ecclesiae: scilicet baptismum, unctionem, matrimonium pro nihilo habebant:* ubi voce *Abnoitae* male pronunciata, surculum priscorum *Ebionitarum* denotari suspicor (4). *Ebionitae* sane multa secula perdurarunt, ut aliunde novimus (5). Et *Nazaraeos*, qui easdem similesve sententias atque illi foverunt (6), anno 1054 in Imperio Graeco adhuc fuisse, apparet ex decreto, Pontificis Romani nomine in Episcopum Constanti-

(1) Cf. praeter alios, MONETA, *adversos Catharus et Valdenses.* Lib. II. Cap. IX. p. 217 sqq.

(2) Apud MURATORIUM, *Hist. rerum Itall. medii aevi.* Tom. V. p. 151.

(3) Apud MARTENE et DURAND, *Collect. Scriptt. Vett.* Tom. V. p. 37.

(4) Fieri potest, ut iidem *Abenonitae* dicantur apud REINERUM. Cap. VI. *in Bibl. Pat. l. c.* p. 272. Sed si hoc ita se habet, statuendum est, opinionem eorum ibi minus recte proponi. Nihil aliud enim legimus quam: *uxores ducunt, sed non utuntur eis propter continentiam.*

(5) Cff. VAN HEYST, in *dissert. de Judaeo-Christianismo ejusque vi et efficacitate, quam exseruit in rem Christianam, seculo primo, et Scriptores ab eo l. l.* p. 148..

(6) EPIPHANIUS, *adversus Haereses. Haeres.* X. Tom. I. p. 125 *Col.*

nopolitanum edito (1). Jam his probatis, seqnitur, *Passagios* non in Italia exstitisse (2), sed ex Oriente in Occidentem pervenisse. Quidquid hujus rei est, refutare non necesse erit quod contendit L'ENFANT (3), *Passagiorum* nomen inter ea fuisse, quibus *Valdenses* dicerentur. Ita et a *Valdensibus* semper distinguuntur *Ioviniani*, nomen sortiti a JOVINIANO, monacho celeberrimo seculi IV, qui vitae solitariae se opposuit (4). REINERO auctore (5) dixerunt, nihil inter virgines et nuptas interesse. Ceterum de placitis eorum nihil certi dici potest, quamquam una cum *Paterinis* et *Bugaris* recensentur, uti apud MATTHAEUM *Parisium* (6), quare obiter eos attigisse sufficiat.

Multo magis hic in censum veniunt *Ariani*, de quibus tamen, cum vulgo satis cogniti sint, copiosa non requiratur disputatio. Unice notandum est, hoc nomine non solum comprehendi quotquot a sententia *Catholicorum* de *Trinitate* magis minusve ad ARII partes desciverint, quales homines in Occidente quoque nunquam plane deleri potuerunt; sed ignorantiâ etiam vel malignitate monachorum *Manichaeismi* crimine oneratos esse, qui viri illius placita quodammodo sequerentur. (7). *Ariani* autem cum *Haereticis*, quorum ratio a nobis praecipue habenda est, conveniunt, quatenus disceptarunt cum Ecclesia de rebus intelligibilibus. *Haereticos* dicimus *Catharorum* nomen sortitos, quos quonam loco et numero scriptores medii aevi habuerint, diligenter nunc inquirere oportet.

Quid scriptores medii aevi sibi voluerint, de *Catharis* loquentes, recentiori

---

(1) Cff. MANSI. Tom. XIX. p. 818. et *Chronicon Turonense.* p. 1003. B. C.
(2) Cf. LANDULPHUS *Junior*, *Hist. Mediol.* Cap. 41. apud MURATORIUM. *l. c.* p. 513. Quem locum GIESELER p. 550. etiam notavin, suam vero vir doctus non dixit sententiam.
(3) *Histoire du Concile de Pise.* Tom. II. p. 49.
(4) Cf. *liber de Haeresibus* apud SIRMOND. *opp. varr.* Tom. I. p. 292.
(5) *L. c.* p. 272.
(6) *Histor. ad ann.* 1245. p. 664.
(7) Cff. PAGIUS ad BARONII *Annales.* Tom, XIX. p. 497, 498. SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 507, 508.

aetate viri docti nobis explicuerunt; neque ita tamen, ut quaestionem ab omni parte excussisse videantur. Accuratam certe adhuc desidero distinctionem *Haereticorum*, quos Veteres ad genus illud retulerunt. Huic autem desiderio ego quidem satisfacere non possum; sed ut pro viribus meis succurram incipiendum est ab interpretatione nominis. Fabulas, quas GRETZERUS memorat (1), praetermitto. Haud improbabilis est MOSHEMII sententia, vocem *Cathari* depravatam, et pro ea substituendam esse *Gazari*, quippe ex *Gazaria*, id est *Tartaria minori*, oriundi (2). Apud Veteres enim haec scriptio jam occurrit (3). Sed eam ex perversa veri nominis elocutione ortam esse jam monuit GRETZERUS et confirmavit nuper GIESELER (4), jure meritoque provocans ad ECKBERTUM *Schonaugiensem*, qui jam seculo XII medio *Catharos* scripsit, et illud exposuit *Catharistas*, *id est purgatores* (5). Describendum autem est quod paulo inferius apud hunc scriptorem legimus: *omnes damnantur, nisi discedant ab invicem, et vobis jungantur, et purgentur per vos. Hinc et hoc nomen sibi assumpserunt primi magistri vestri, ut se vocarent Catharistas, id est purgatores, et Catharos, id est mundos: et ecce justo judicio Dei ipsum nomen, quod vobis assumpsistis ad gloriam vestram, versum est in ignominiam vobis in populari sermone* (6). Hinc apparet, auctorem nomen dirivasse a vocabulo Graeco *καθαρὸς*, quod et Veteres, paucis exceptis, fecisse, non opus est, ut probetur; cum

(1) *Prolegomena* in LUCAE *Tudensis Succedaneos. l. c.* p. 253.

(2) *L. c.* p. 436. Cff. SCHROECKH. *l. c.* Tom. XXIII. p. 351, 352. HENCKE et VATER Tom. II. p. 130. GUERIKE p. 465, nomina *Gasarorum* et *Catharorum* copulavit; sed me, in scriptis veterum, locum non invenire memini, ubi utraque excitentur.

(3) STEPHANUS *de Borbone* apud *d'Argentré Collect. Judic. de novis erroribus*. Tom. I. p. 90. Cf. *Cod. de Haeret*. Cap. 8 et 9. Et ex Epist. GREGORII XI ad Reg. Gall. apud RAYNALD. apparet quoque, nomen *Gasarorum* anno 1374 nondum obsolevisse.

(4) *L. l.* p. 528.

(5) *Adversus Catharos*, *Bibl. Patr.* Tom. XXIII. p. 601-603.

(6) Ibidem p. 607. cf. p. 632.

omnes fere *Catharos* scripserint. Nimirum *Haeretici*, de quibus nunc agimus, ab Ecclesiae doctrinis recedentes, se καθαρούς, id est puros nuncuparunt, vestigia sequentes *Novatianorum* et *Manichaeorum* vetustae memoriae, qui splendidum hunc tulum jactaverant (1). Jam primum hoc nomen in *Germania* auditum est ibique diu remansit. Deinde vero ad alias regiones Occidentis transiit, *Italiam*, nempe, et *Flandriam;* ut inde intelligimus, quod horum locorum scriptores eo, et nonnulli quidem, ut ALANUS, MONETA, eo solo usi sunt. Non ausim igitur assentiri GIESELERO (2) monenti, qui in *Germania Cathari* dicerentur, in *Italia* vulgo *Paterinos*, in *Gallia Publicanos* dictos esse. Hoc fieri potuit, ut *Catharorum* appellatio, cum sermones suos haberet ECKBERTUS, fines Germaniae nondum superasset.

Variis nominibus *Cathari* dicti sunt, sed pauca tantum eorum tempori aut loco cuidam ita adhaeserunt, ut utriusque manerent propria. Antiquissimum est, quod pars eorum gessit, *Paulicianorum;* a seculo VII jam Orienti usitatum, et hinc in *Italiam*, *Galliam* aliasque regiones Occidentis seculo XI propagatum. Quid veteres de opinionibus eorum tradiderint, disputatur. Sed extra controversiam positum esse videtur, placita iis tributa esse ex *Manichaeismo* et *Gnosticismo* commixta (3). FREDERICUM Imperatorem, cujus in *Constitutione* nulla eorum fit mentio, eos in terris sibi subjectis non amplius invenisse

---

(1) Vid. USSERIUS *l. c.* p. 272 sqq. et cf. HUMBERTI *adversus Simoniacos* liber I. in MARTENE et DURAND *Anecdotorum* Tom. V. p. 638 sqq. ubi docemur, seculo XI. titulum in Ecclesia ipsa Catholica non incognitum fuisse.

(2) *L. c.* p. 528, 529.

(3) Cff. MOSHEM. p. 486. SCHROECKH. *l. c.* Tom. XX. p. 369. XXIII. p. 348 sqq. GUERIKE *l. c.* p. 385. et omnino GIBBONUS, *The History of the decline and Fall of the Roman Empire* Cap. 54. Tom. X. p. 152 sqq. ed. Lips. quem virum disputatione sua de *Paulicianis* accurate conscripta multum lucis attulisse et aliis, qui hac de secta commentati sunt, palmam praeripuisse monet HALLAM, *View of the State of Europe during the middle ages.* Vol. III. p. 463. ed. 2.

putaverim, si excipimus surculum eorum, ab eo damnatum, *Josepinos* nempe, vel *Joseppinos*, vel *Josephistas*, qui probabiliter ducem habuerunt vel jactarunt JOSEPHUM, *Paulicianum* sec. VIII (1). Haud crebro autem et *Josepini* et *Pauliciani* in libris temporum illorum, de quibus nunc agimus, memorantur: haud crebro item *Publicani*, quos in *Gallia*, ut monuerunt viri docti, sedem fixisse minus docent, nisi fallor, verba ALEXANDRI III in concilio Lateranensi III (2): *eapropter, quia in Gasconia, Albigesio, et partibus Tolosanis, et aliis locis, ita Haereticorum, quos alii Catharos, alii Patrinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas.* Sed eos ex *Gasconia* in *Angliam* venisse, perspicue intelligimus ex testimonio GUILIELMI *Neubrigensis* (3). Multi vocem per corruptionem ex *Paulicianorum* nomine ortam esse volunt: quod tamen longius petitum videtur, quam si dixeris, *Catharos*, vel partem eorum, ignominiae causa vocatos esse *Populicanos*, id est homines, qui ex populo, non ex Clero orti (*Laïci*), antistitis Sacrorum munus sibi arrogarent: hinc exstitisse vocem *Popelitanorum* et *Popelicanorum* (quae revera nobis occurrunt in *Chronico* PISTORII (4) et in WILHELMI BRITONI *Philippide*) (5), et, quemadmodum ex *populicus* olim venit *publicus*, sic per contractionem *Publicanorum:* pronunciandi denique celeritatem fecisse, ut etiam scriberetur *Piphles*, quo nomine ECKBERTUS (6) in *Flandria* designatos esse tradit, qui *Cathari* appellarentur in *Germania* (7).

(1) Cf. SCHROECKH. *l. c.* Tom. XX. p. 368, 369.
(2) Vide MANSI *l. c.* p. 232.
(3) *Hist. Angl.* Lib. II. Cap. 13. apud RICCHINIUM in Praef. p. XV.
(4) *L. c.* p. 199.
(5) Apud DUCHESNE Tom. V. p. 102.
(6) *L. c.* p. 601.
(7) Cff. SCHMID *l. c.* p. 437. et GUERIKE *l. c.* p. 465.

Eodem tempore *Catharos* in *Gallia* ab usu texendi *Texerantes* dictos esse, idem nobis narrat auctor. Adversarii igitur illis, ut probabiliter a viris doctis statuitur, tenuem et ignobilem vivendi rationem objecerunt, ut opprobrio haberentur. Nec diu tamen hoc nomen usitatum, aut alias in regiones trajectum fuisse videtur, si quidem praeter ECKBERTUM nemo eos, quantum scio, memoravit. Utrum vero ad *Paulicianorum*, an ad aliam familiam pertinuerint, plane incertum est: quare silentio eos praeteriissem, nisi ad *Catharos* referrentur. Quod fere valet etiam de *Turlupinis*, qui non solum opiniones falsissimas fovisse, sed turpem etiam vitam egisse dicuntur. Appellatio ipsa, quae *Gyrovagorum* voce explicatur, hoc quoque jam indicare videtur. Nec tamen aequales eos fuisse putaverim *Texerantium*, sed seculo demum XIV caput extulisse (1).

Multo celebriora sunt nomina *Paterinorum* et *Bugarorum*, quorum alterum a *Bugaria* vel *Bulgaria* derivandum esse satis constat; alterum disputationi ansam dedit. Et ne vel de scriptione inter se consentiunt omnes, cum illi aeque *Patareni*, *Patereni*, *Patrini*, *Patelini* dicantur ac *Paterini* (2). *Patelinorum* vocem nonnulli a PATELINO quodam ortam putant (3). Sed hoc longe quaesitum est, nec minus, quod opinantur alii, *Haereticos* illos dictos esse a *patiendo*.

---

(1) Cff. ZANTVLIET in *Chron.* ad annum 1309. p. 158. BERNARDUS *Lutzenburgensis* apud SANDERUM *de visibili Monarchia Ecclesiae.* p. 507. et inprimis L'ENFANT. *histoire de la Guerre des Hussites et du concile de Basle.* Tom. I. p. 33 sqq.

(2) In GOBELINI PERSONAE *Cosmodromio* apud MEIBOMIUM *rerum Germanicarum* Tom. I. p. 228. de *Paternianis* legimus et quidem haec: *Paterniani, a Paterno quodam exorti, inferiores partes corporis a Diabolo factas arbitrantur.* Nominis origo falso explicari videtur; sed memoratu dignum est, illud tempori jam satis antiquo tributum et de *Gnosticis* vel *Manichaeis* usurpatum esse. Eosdem *Paternianos* memorat EBRARDUS in *Bibl. Patr.* Tom. XXIV. p. 1577. Quod autem his in locis tribuitur *Paternianis*, REINERUS, vel potius incertus Auctor *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 272. *Paterinos* credidisse ait, scribens: *Paterini dicunt, inferiores partes corporis a Diabolo factas, ideo flagitiose iis utuntur.*

(3) DU CANGE *l. c.* ad vocem *Paterinum*, quem excitat GIBBON *l. c.* p. 170.

Haud improbabilis est sententia, a plerisque viris doctis hodie probata, *Paterinorum* appellationem a *Pataria*, loco *Mediolanensi* petitam, et jam seculo XI contumeliae causa datam esse Clericis, qui Romanae Ecclesiae disciplinam religiose sequerentur; deinde vero eam ad *Catharos*, ut irriderentur, translatam esse (1). Quod ut in *Italia* seculo XII factum est, sic seculo post in *Gallia Bugarorum* nomen frequentari incepit: ita tamen, ut utraque vox aliis *Europae* regionibus non plane inusitata esset (2). Hac de re sane nulla lis est, an *Paterini* et haud secus *Bugari* ad *Catharos* referendi sint: sed, quamquam Veteres nobis tradunt, eos maxime *Manichaeismum* secutos esse; aliis tamen eorum alia tributa reperimus placita, ut, pars, *Manichaeis* antiquis propiores, pars, ab illis remotiores praestentur (3).

---

(1) PAGII *Critic. in Annal.* BARONII ad ann. 1058. MURATORI *Antiquit. Ital. med. aevi.* Tom. V. p. 85. SCHROECKH. *l. c.* Tom. XXIII. p. 349, 350.

(2) Cf. GIESELER *l. c.* p. 529 sqq. et ss. ab eo ll. Descriptu quoque digna sunt verba MATTH. *Paris. Hist. Angl.* p. 429. ubi ad annum 1236. haec legimus: *Circa dies autem illos, invaluit Haeretica pravitas eorum, qui vulgariter dicuntur Paterini et Bugares, in partibus transalpinis; de quorum erroribus malo tacere quam loqui, adeo quod fidei puritatem in finibus Franciae et Flandriae ausi sunt perturbando violare.*

(3) Cf. REINERUS in *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 267 sqq. ejusque *Summa* apud MARTENE et DURAND *l. c.* p. 1767 sqq.

§ 8.

In Veterum scriptis Haeretici, praeter Albigenses, memorati, distinguuntur a Valdensibus.

Recensuimus supra varias *Haereticorum* turbas, quas Veteres, praeter *Albigenses*, memorarunt: nunc ita progrediendum est, ut ostendamus, *Haereticos illos in scriptis eorum a Valdensibus distingui.* Quod agentes tamen sine scrupulo mittere possumus eos, qui hîc propter eorum aetatem vel opiniones in censum non venire vidimus. Neque *Arianorum* nomen hoc loco repetendum est, siquidem nemo dixerit, eos placita cum *Valdensibus* communia habuisse. Et multo majore jure praeteribimus *Haereticos*, de quibus nihil ad notitiam nostram perlatum est praeter mera nomina, aut vagos rumores, a Viris doctis frustra examinatos ad verum inveniendum. Generatim monere sufficiet, scriptores medii aevi passim *Valdenses* ab aliis quibuscunque *Haereticis* discernere. Unus instar omnium sit *Pilichdorffius* (1): *Et licet varii variarum sectarum et Haeresum Haeresiarchae, et errorum Magistri inter sanctam Ecclesiam reperiantur; specialiter tamen contra illos insurgendum et vigilandum, de quibus apertissime constat, quod majorem numerum* CHRISTI *fidelium simplicium a fidei orthodoxae abducunt infallibili veritate. Inter quos nostris temporibus Haeresiarchae, sectae Waldensium Haereticorum, plurimam* CHRISTI *fidelium multitudinem suis perversis doctrinis, sub quibusdam simulatae sanctitatis dulcedinibus, errorum veneno*

---

(1) *Contra Haeresin Waldensium tractatus. Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 277, 278. Scriptus demum fuisse videtur liber seculo XV. fere medio. Cf. SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 543 sqq. Neque hoc tamen impedit, quominus in quaestione de *Valdensium* secta ab aliis *Haereticis* distinguenda ejus auctoritate utamur.

mortifero lethaliter infecerunt; quorum quidem malus est ortus, pejor progressus, et exitus pessimus. Quibus scriptis auctor Originem *Valdensium* narrare incipiens, hanc lucem praecedentibus adspergit, ut eum de secta peculiari locutum esse constet. Haud minoris ponderis est, quod legimus apud scriptorem multo antiquiorem *doctrinae de modo procedendi contra Haereticos* (1), cujus initium hoc est: *Isto modo procedunt Inquisitores in partibus Carcarsonensibus et Tholosanis. Primo accusatus vel suspectus de Haeresi citatur: qui veniens jurat super Sancta Evangelia, super crimine Haeresis vel Valdesiae, tam de se quam de aliis, tam vivis quam defunctis, dicere plenariam, quam scit, veritatem: et si celaverit, vel negaverit, in carcere ponitur et detinetur, donec fuerit confessus.* Ubi primum generatim *Haeresin* memorat; tum vero scribens *crimine Haeresis vel Valdesiae* perspicue hanc sectam ab aliis omnibus discernit. Non solum enim de *Haereticis* loquitur *partium Carcassonensium et Tholosonarum*, ubi *Manichaeos, Gnosticos, Arianos* quoque fuisse aliunde novimus et infra probabimus; sed etiam formulam *Haeresis vel Valdesia*, alia *Haeretici vel Insabbatati* hoc in libro saepissime permutat, altera voce haud dubie *Valdenses*, altera ceteros significans homines et sectas ab Ecclesia discedentes. Opponi mihi possit, quod paulo inferius reperitur: *Juro etiam, quod cum Valdensibus, Pauperibus de Lugduno, Insabbatis, vel Haereticis, cujuscumque generis sint, consortium, familiaritatem, vel participationem aliquam non habebo.* Sed ibi tria tantum unius ejusdemque sectae, a qua alii *Haeretici* distinguantur, excitari nomina, luculenter ex duobus apparet locis, altero praecedente: *Ego talis, agnoscens veram Catholicam et Apostolicam fidem, abjuro et abjurando detestor omnem haeresim, prae-*

---

(1) Apud MARTENE et DURAND, *Anecd.* Tom. V. p. 1798 sqq.

cipue sectam Valdensium, Insabbatorum sive Pauperum de Lugduno, in quam peccatis meis exigentibus incidi; altero sequente: *ego talis juro, et per Deum omnipotentem, et per haec Sancta Evangelia, quae in manibus meis teneo, coram vobis Domine P. Dei gratia Terracensi Archiepiscopo, et coram vobis assistentibus, quod non sum vel fui Insabbatus, vel Valdensis, vel Pauper de Lugduno, neque Haereticus in aliqua secta Haeresis, damnata per Ecclesiam Romanam.* Provocare etiam possum ad testimonia quae § 6 in medium allata sunt; sed in re disceptationi minus obnoxia brevitati consulere placet.

Quaestionis cardo vertitur in *Catharis*, et universis, et singulis judicandis. Universos dico: quoniam Veteres, ut § 7 vidimus, hoc nomine haud paucos *Haereticos* comprehenderunt; de aliis ita scripserunt, ut ad hoc genus quoque referendi sint. Nimirum *Publicanos, Populicanos, Piphleros, Texerantes, Paterinos* ita appellatos esse, luculenter ostendunt loca supra allata. *Pauliciani* vero *Josepini, Bugari, Turlupini* hac quidem appellatione, quod ea in *Gallia* et *Anglia* non recepta erat, tum aliis de causis, dicti non videntur: sed his omnibus tamen opiniones tribuuntur, quas *Cathari*, saltem pro parte, sibi proprias habuerunt. Necesse igitur est probare, scriptores medii aevi *Catharos universos* a *Valdensibus* discernere, vel hos ab illis discernendos esse.

A *Catharis* LUCIUS III *Valdenses*, brevi postquam nominis famam consecuti erant, jam distinxit deinceps vituperando *Catharos, et Patarinos, et eos, qui se Humiliatos, vel Pauperes de Lugduno falso nomine mentiuntur* (1). Quod ut anno MCLXXXIV factum est, ita seculo XIII varii homines, qui *Haereticos* refutare conabantur, Pontificis vestigia secuti sunt. Et ALANUS quidem ad finem seculi

---

(1) Decretum, unde haec verba petita sunt, descripsimus supra § 3.

XII (1) adversus *Haereticos* disputans, nullam sectam nominatim compellat praeter *Catharos*, quos semel memorat, et quibus errores a se refutatos imputat (2). Tum vero se accingit ad profligandos *Valdenses*, qui secundo in libro oppugnantur et crebro nominantur. ALANO addatur MONETA: nam quamvis non aliter potuit quam *Catharis* et *Valdensibus* simul se opponere, ubi iisdem armis Ecclesiae doctrinam aggrediebantur; suorum tamen librorum titulo *adversus Catharos et Valdenses* discrimen utrorumque jam indicavit. Nihil vero evidentius est, quam quod ab alteris ad alteros progrediens scripsit (3): *ostenso, quod universitas Catharorum non est Ecclesia Dei, ostendamus, quod universitas Pauperum Leonistarum non est Ecclesia Dei.* Audiri quoque meretur REINERUS, qui *summam de Catharis et Leonistis seu Pauperibus de Lugduno* sic incipit: *In nomine Domini nostri* JESU CHRISTI. *Cum sectae Haereticorum olim fuerint multae, quae omnino fere destructae sunt per gratiam* JESU CHRISTI; *tamen duae principales modo inveniuntur, quarum altera vocatur Cathari, sive Paterini; altera Leonistae, seu Pauperes de Lugduno, quorum opiniones praesenti paginae anno-*

---

(1) SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 536, 537. GIESELER. *l. c.* p. 545, 546. Editor quidem *Car. de* VISCH, in Praefatione, hunc ALANUM seculo fere post vixisse et anno 1294 mortuum esse contendit: quem praeter alios sequitur FOPPENS, *Bibliotheca Belgica.* Tom. I. p. 36, 37. Sed haud secus erravit, atque alii, qui decepti a TRITHEMIO apud FABRICIUM, *Bibliotheca Eccles.* p. 128. enm sub ALBERTO *Imperatore* claruisse tradiderunt. Et quidquid a viris doctis perhibeatur de confusione duorum hominum, quibus ALANI nomen commune fuerit, nihil esse demonstravit OUDINUS, in *Commentario de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Tom. II. p. 1389 sqq. ubi satis superque probavit, de alio ALANO temere mentionem factam esse, quam de *Ripatorii abbate*, *Antissiodorensi episcopo* et *monacho tandem cisterciensi:* cujus igitur scriptum recte ad finem seculi XII retulimus. Vulgarem tamen errorem OUDINUS commisit, ALANI libris falsum praeponens titulum, quo *Albigensibus* se objecisse dicatur. Meliora vero doceri potuisset ex *Ms. Biblioth. Galliarum Regiae.* 5513. fol. 352. ubi recte scriptum est: *summa* ALANI *quadripartita*, *contra Haereticos*, *Valdenses*, *Judaeos et Paganos.* Neque alium titulum ferendum esse, luculenter inde apparet, quod auctor diem obiit, antequam *Albigensium* nomen, ut infra enucleate explicabitur, famam consecutum erat.

(2) *L. c.* Lib. I. Cap. 63. p. 248.

(3) Lib. V. Cap. I. p. 402.

tantur. Post Catharorum autem refutationem his verbis utitur: *supra dictum est sufficienter de Haeresi Catharorum, nunc dicendum est de Haeresi Leonistarum seu Pauperum de Lugduno* (1).

Haec de distinctione ipsorum *Catharorum* et *Valdensium.* Utrorumque quod attinet placita, idem plane Veteres inter ea interesse tradiderunt, atque inter placita *Albigensium* et *Valdensium.* Quamquam enim *Haereticos* illos in duas maxime partes diviserunt, ut longe plurimis *Manichaeismus*, seu antiquus, seu recentioris formae, nonnullis *Gnosticismus*, seu species ejus tribueretur; de eo tamen inter se consensisse feruntur, ut ab Ecclesiae doctrina, unum esse Deum, auctorum coelorum et terrae, omnes omnino discederent, *Valdenses* vero non item.

ALANUS igitur *Haereticos* sui temporis, id est *Catharos*, inducit diversa placita sequentes, sed ita tamen, ut *Manichaeismo* vel *Gnosticismo* serviant. Et primo quidem loco de rebus intelligibilibus disputans, in *dualismi* patronos invehitur, uti et in quosdam *asserentes, solos angelos Apostatas, qui de coelo ceciderunt, corporibus humanis infundi, Deumque eos punire voluisse in corporali substantia et ibi poenitentias agere.* Refutantur porro qui *dicunt,* CHRISTUM *ad inferos non descendisse, nec animas ab inferno liberasse: quia asserunt animas omnium illorum, qui ante adventum* CHRISTI *decesserunt, aeternaliter damnatos esse:* tum quoque *Haeretici contendentes, corpus humamum a diabolo esse, neque igitur resurrecturum esse, aut glorificatum iri.* Notari autem meretur, hujusmodi homines ab eo *Christianos* vocari, cum ita scribat: *Hi autem volunt dicere, ideo resurrectionem non futuram, quia anima perit cum corpore, sicut nostri temporis multi falsi Christiani, imo Haeretici dicunt.* Quod paulo inferius gravi oratione repetit, *ad authoritates*, ajens, *Gentilium Philosophorum stylum ver-*

(1) Apud MARTENE et DURAND. *l. c.* p. 1761, 1775.

tamus, ut erubescant Christiani illam veritatem (immortalitatem animi) *diffiteri, quam confessi sunt Philosophi Gentiles* (1). Ad quaestionem autem de *Veteri Testamento* transgressus, *praefati*, inquit, *Religionis Christianae hostes asserunt, a Principe tenebrarum, id est a Deo maligno, legem Mosaicam esse datam; a Principe vero lucis, id est a Deo benigno, legem Euangelicam: ut sicut duo principia rerum, ita ab eis duo sint tradita Testamenta. —— Dicunt similiter Patres Veteris Testamenti fuisse malos. — — Omnes Patres Veteris Testamenti aeternae subjiciunt damnationi* (2). Quibus rejectis, errores aggreditur, quos hîc memorare nihil attinet, de Sacramentis, nempe, ritibusque Ecclesiae, et hominis Christiani officiis. Sed silentio praeterire nefas est, auctorem ad calcem hujus libri (3) scripsisse: *Haec contra Haereticos praedictos dicta sufficiant. Nunc ad illos, qui Waldenses dicuntur, stylum vertamus.* Uti autem his verbis testatus est, se *Valdensibus* nihil imputare, quod *Manichaeismum* aut *Gnosticismum* redoleat, ita toto in libro II, ubi hac de secta seorsum agit, leviora tantum iis objiciuntur.

ALANUM excipiat MONETA, qui ab initio scriptionis suae *Catharis* in duas principales, ut ait, partes distributis sic pergit (4): *Quidam illorum duo asserunt principia sine initio, et sine fine. Unum dicunt patrem* CHRISTI, *et omnium justorum, et Deum lucis. Alium vero Deum credunt esse illum, de quo* CHRISTUS *ait* JOANN. XIV: 30: *Venit enim Princeps mundi hujus etc. Istum credunt esse Deum excoecantem mentes infidelium, et Deum tenebrarum. Isti credunt eum creasse quatuor elementa ista, quae videmus, scilicet terram, aquam, aërem, et ignem, et omnia, quae in terra hac, vel in aqua ista, vel in aëre isto sunt;*

(1) *L. c.* Lib. I. Cap. 2, 9, 11, 15, 23, 27.
(2) *L. c.* Cap. 35, 37.
(3) *L. c.* Cap. 76. p. 257.
(4) Lib. I. Cap. I. p. 2 sqq.

similiter et coelum istud visibile, et omnem ornatum eorum, scilicet solem, lunam et stellas. Credunt etiam, quod iste sit Deus, de quo ait MOYSES *Genes. Cap. I: in principio creavit Deus coelum, et terram etc. et ea, de quibus habetur in Pentateucho, in lib.* JOSUE, *et* JUDICUM, *et* RUTH, REGUM, *et* PARALIPOMENON, *credunt ab eo dicta, et facta fuisse. Exceptis sexdecim* PROPHETIS, *et* PSALMIS, *et quinque libris* SALOMONIS, *totam scripturam Veteris Testamenti credunt ab eo esse: quidam tamen eorum* JOB *recipiunt, et totum* ESDRAM, *sicut praedictos Prophetas, et quinque libros praenotatos. Isti credunt, visibilia ista et transitoria esse ab illo per creationem. E converso credunt, Deum patrem* CHRISTI *et justorum esse creatorem permanentium tantum et aeternorum; et credunt, quod ipse alia sua quatuor elementa creaverit, et omnia, quae in eis sunt, et suos Coelos; et quod ornaverit sole alio, quam sit iste visibilis, et alia luna, et aliis stellis. Dicunt autem et credunt, quod iste Deus sanctus et verus suum populum habuerit coelestem, constantem ex tribus, scilicet corpore, et anima, et spiritu. Anima intra corpus existit; spiritus vero, qui custos est animae et rector ipsius, intra corpus non est, et quod unaquaeque anima a Deo bono creata proprium habet spiritum ad sui custodiam. Credunt etiam, quod Diabolus, qui et Satanas dicitur, invidens Altissimo, caute ascendit in coelum Dei sancti, et ibi colloquio suo fraudulento praedictas animas decepit, et ad terram istam, et caliginosum aërem duxit, et credunt eum villicum iniquitatis dici a Domino* LUC. XVI: 8: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis.* Tum alios errores ex veterum *Manichaeorum* commentis magis minusve profectos iis objicit, usque dum ad alterum *Catharorum* partem progrediatur. Quod his facit verbis: *Ex parte visa est opinio horum, qui duo principia ponunt: sed amplius manifestabitur, quando de singulis articulis tractabimus. Nunc videamus ex parte opinionem eorum, qui unum asserunt Creatorem. Isti enim ex parte conveniunt cum illis, et ex parte differunt. In hoc*

differunt, quia isti unum asserunt Creatorem, illi duos. Ponunt enim, principem mundi, quem Diabolum et Satan scripturae dicunt, post creationem primae materiae a Deo factae, illam materiam distinxisse in quatuor elementa. Exinde rerum species, prout videntur, distinxit: quod ad praesens dimittimus, quia in principio secundae partis hujus operis magis plene habebitur. Credunt tamen ipsum mundi Principem Deum hujus seculi appellari. In quo conveniunt cum aliis; sed non credunt eum esse Deum per naturam, immo Dei summi, Patris scilicet Justorum, creaturam: in quo diversificantur ab aliis. Isti etiam conveniunt cum praedictis, credentes Vetus Testamentum esse a Diabolo. In Prophetis autem differunt dicentes, eos fuisse locutos quandoque de spiritu proprio, quandoque de spiritu maligno, quandoque de virtute Sancti Spiritus. Unde non recipiunt eos, nisi ubi volunt. Primi vero eos totaliter recipiunt, et eos bonos fuisse dicunt. Illi vero eos malos fuisse credunt, licet aliqua bona de CHRISTO *dixerint. Isti negant omnia sacramenta Ecclesiae sicut primi, et ponunt impositionem manuum esse Baptisma Spiritus Sancti: in quo conveniunt cum illis. Negant etiam horum corporum resurrectionem, sicut et illi; differunt autem ab illis, quod illi ponunt resurrectionem corporum coelestium, ut dictum est; isti vero corporum spiritualium, id est hominum interiorum.* Plura describere nolumus ad probandum hanc alteram hominum partem *Gnosticismi* vel speciei ejus ab auctore accusatos esse. Sed impetrare a me non possum, ut praeteream locum clarissimum, ubi *Manichaeorum* et *Gnosticorum* placita diserte memorantur. *Viso*, inquit MONETA (1), *quod Ecclesia Romana a* CHRISTO *velut capite sumpsit exordium, nunc unde Catharorum Ecclesia originem duxerit ostendamus. Sicut enim per universitatem creditorum ab Ecclesia Romana ostensum est, quod ipsa est* CHRISTI *Eccle-*

(1) Lib. V. Cap. II. p. 411.

sia; ita etiam per universitatem creditorum ab eis ostenditur, quod eorum congregatio non est Dei Ecclesia, nec ab ipso velut capite sumpsit originem, sed potius a Paganis, aut Judaeis, aut Apostatis Christianis. Fuit enim quidam Paganus, PYTHAGORAS *nomine, qui animas hominum in alia corpora, hominum, scilicet, vel pecudum intrare dixit: cui errori plures Pagani consenserunt et dicti sunt Pythagorici, quos velut exordium suum Cathari, qui duo ponunt principia, imitantur. In hoc errore fuerunt etiam quidam alii perfidi, scilicet* ZARDEN *et* ARPHAXAT, *qui dixerunt datorem legis* MOYSI *esse Principem tenebrarum, a quibus omnes Cathari, quoad hunc errorem, derivati sunt. Fuerunt etiam apud Judaeos Saducaei, qui horum corporum resurrectionem negabant, a quibus omnes Cathari duxerunt originem. Fuit quidam alius,* MANES *nomine, qui duo principia posuit, et duas creationes, duasque naturas, unde Manichaei dicti sunt quidam, et ab istis quidam Catharorum sumpserunt principia. Item omnia visibilia et transitoria asserebant a Diabolo fabricata, unde* CHRISTUM *negabant carnem istam sumpsisse de Virgine. Vetus autem Testamentum respuunt, quos Cathari plurimum imitantur. Fuit etiam quidam,* TATIANUS *nomine, a quo Tatiani quidam dicti sunt, qui esum carnium reprobavit, quem Cathari imitantur. Item Valentiniani a* VALENTINO, *qui* CHRISTUM *dixit nihil de Virgine assumpsisse.* Jam vero tantum abest, ut auctor *Valdenses* harum opinionum reos esse dicat, ut eos potius hac nota liberet, iis demum inducendis, ubi de Ecclesia disputare incipit (1).

Tertium audiamus REINERUM (2), qui *Catharos* primum in tres partes dividit, *sectas* illas vocans *principales*, *Albanensem*, *Concorrensem*, *Bajolensem:* quod tamen minus recte fit, quoniam hac in divisione ratio non habetur diversitatis principii,

---

(1) Verba ejus Lib. V. Cap. I. exhibuimus supra. p. 41.
(2) *Summa l. c.* p. 1761 sqq.

unde *Cathari* omnia derivarunt, sed diversitatis opinionum, quas homines, eidem principio servientes, in *Italia* maxime foverunt. *Communes*, dicit, *opiniones omnium Catharorum sunt istae, scilicet, quod diabolus fecit hunc mundum et omnia, quae in eo sunt. — — Item omnes Cathari negant carnis resurrectionem futuram.* Tum ea recenset, quae *Catharorum* qualiumcunque propria sunt. Quo peracto diversas exponit sententias, quae variis placent Catharorum sectis. Hinc autem apparet, placita iis tribui, quae, quantopere inter se differunt, vehementer tamen discedant a doctrina Ecclesiae de Deo, Litteris Sacris, immortalitate. Nam *Albanensium* sectam bipartitus, opiniones eorum, qui *Balazinanzam* sequuntur, sic proponit: *quod sunt duo principia ab aeterno, videlicet boni et mali: — — quod utrumque principium, sive uterque Deus, creavit suos angelos et suum mundum, et quod iste mundus est creatus, factus et formatus a malo Deo, et omnia, quae in eo sunt: quod diabolus cum suis angelis ascendit in coelum, et facto ibi praelio cum* MICHAELE *Archangelo et angelis boni Dei, extraxit inde tertiam partem creaturarum Dei, et infundit eas quotidie in humanis corporibus et in brutis, et etiam de uno corpore eas transmittit in aliud, donec omnes reducentur in coelum: — — item quod* ABRAHAM, ISAAC *et* JACOB, *et* MOYSES, *et omnes antiqui Patres, atque* JOHANNES *Baptista fuerunt inimici Dei et ministri Diaboli: quod diabolus fuit auctor totius Veteris Testamenti, exceptis his libris,* JOB, PSALTERIO, *libris* SALOMONIS, *sapientiae,* JESU *filii* SYRACH, ISAÏAE, JEREMIAE, EZECHIELIS, DANIELIS, *et duodecim Prophetarum, quorum quosdam dicunt esse scriptos in coelo; illos scilicet, qui fuerunt scripti ante destructionem Jerusalem, quam dicunt fuisse coelestem: quod mundus iste numquam habebit finem: quod judicium futurum jam factum est, nec amplius fiet: quod infernus sive poenae aeternae sunt in isto mundo tantum et non alibi.* Partem JOHANNIS DE LUGIO itidem duo principia, alterum boni, alterum mali, statuere tradit; sed sic tamen, ut ver-

bis alia notio subjiciatur. Deinde eam dicere ait: *Quod iste mundus est a Diabolo vel potius a patre Diaboli, et quod numquam habuit principium, nec finem habebit: quod bonus Deus habeat alterum mundum, in quo sunt homines, et alia (animalia)* (1), *et omnia similia istis visibilibus et corruptibilibus creaturis.* Et notato hoc ejus errore: *quod animae Dei transmittantur de corpore in corpus, et quod omnes in fine liberabuntur a poena et a culpa;* de sectae Capite orationem sic persequitur: *Item iste* JOHANNES *recipit totam Bibliam, sed putat eam scriptam fuisse in altero mundo, et ibidem esse formatos* ADAM *et* EVAM: *quod* NOË, ABRAHAM, ISAAC *et* JACOB, *et ceteri Patriarchae, et* MOYSES, *et* JOSUE, *et omnes Prophetae, et B.* JOHANNES *Baptista placuerunt Deo, et quod fuerunt homines in alio mundo, et quod* CHRISTUS *natus est ex patribus secundum carnem antiquis, supra nominatis, et quod vere asssumpsit carnem ex B. Virgine, et vere passus est, crucifixus, mortuus, et sepultus, et resurrexit tertia die; sed putat, quod omnia praedicta fiunt in alio superiori mundo, et non in isto: quod in praedicto mundo totum humanum genus incurrit mortem propter peccatum, cui obedivit: quod peccatum appellatur a praedicto* JOHANNE *principium et causa omnium malorum, sicut saepe dictum est supra; et corporibus eorum defunctis ibidem, animae descenderunt necessario in infernum, id est in hunc mundum, et ad hunc infernum descendit* CHRISTUS, *ut auxiliaretur eis: quod ibidem fiet resurrectio mortuorum, scilicet, quod unaquaeque anima Dei recipiet proprium corpus.* Ex quibus intelligimus, hanc maxime sectam, si auctori fides est, sibi placuisse in sensu figurato Literarum Sacrarum verbis subjiciendo, ceterum vero *Manichaeismo* deditam fuisse. Nunc REINERUS ad *Catharos de Concorrezo* progressus, eos unum quidem omnium rerum principium sumere narrat; sed in multis tamen a vero lon-

(1) Cf. *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 270.

gissime deflectere. *Confitentur*, inquit, *quod Deus ex nihilo creavit angelos et quatuor elementa, sed errant credendo, quod diabolus de licentia Dei formavit omnia visibilia sive hunc mundum. Credunt, quod diabolus formavit corpus primi hominis, et in illud effudit unum angelum, qui in modico jam peccaverat: quod omnes animae sunt ex traduce ab illo angelo. Reprobant totum Vetus Testamentum, putantes, quod diabolus fuit auctor ejus, exceptis illis tantummodo verbis, quae sunt inducta in Novo Testamento per* CHRISTUM *et Apostolos, sicut illud: Ecce Virgo concipiet, et similia. Isti omnes damnant* MOYSEN, *et ex illis multi dubitabant de* ABRAHAM, ISAAC *et* JACOB, *et ceteris Patriarchis, et etiam Prophetis in speciali, et multi ex eis modo bene credunt de B.* JOANNE *Baptista, quem olim omnes damnabant. Catharos* denique *Bajolenses* cum *Concorrezensibus* de omni doctrina consentire monet, paucis exceptis, quae tanti mihi non videntur, ut hîc memorentur. Lectis autem locis, quae descripsimus, nemo dubitare poterit, quin utrique sectae placita praecipue *Gnosticorum* tribuantur. Ab his vero transiens auctor ad *Valdenses*, vel, ut hic vocantur, *Leonistas*, hos quidem duas in partes dividit, sed neutram partem errores alius generis committere contendit, quam quos § 3 hanc sectam cum iis, qui *Albigenses* dicuntur, communes habuisse videmus.

Constat igitur scriptores medii aevi *Catharos* a *Valdensibus* distinxisse. Hinc sequitur, illos discrimen quoque fecisse inter hanc sectam et eos, quos in *Catharorum* classe collocarunt, *Publicanos*, *Populicanos*, *Piphleros*, *Texerantes*, *Paterinos*. Nec *Paulicianos* et *Josepinos*, quibus placita ex *Manichaeismo* et *Gnosticismo* commixta tributa esse monuimus (1), eosdem ac *Valdenses* habere potuerunt Veteres. De parte quoque horum *Haereticorum*, uti de *Texerantibus*,

---

(1) Supra § 7. p. 34, 35.

Piphleris etc., si *Valdenses* inducuntur, nulla fit mentio. Pars diserte ab his discernitur, uti *Josepini*, *Paterini* (1). Quod et de *Turlepinis* valere, satis certum est (2). Neque excipiendos esse *Bugaros*, ex eo intelligimus, quod nusquam, si bene memini, una cum *Valdensium* secta in libris Veterum nobis occurrunt; contra vero nomen eorum cum *Paterinorum* nomine ibi permutatum est (3).

§ 9.

Valdenses, uti ab aliis Haereticis, ita etiam ab Albigensibus distinguendos esse concluditur.

Jam probare conati sumus, varias fuisse *Haereticorum* turbas, a quibus scriptores medii aevi *Valdenses* distinguerent, et quos placita secutos esse traderent, ab hujus sectae placitis longissime diversa. Supra autem Veteres *Albigensibus* (jure an injuria, nunc non quaeritur) eosdem errores atque illis *Haereticis* objecisse vidimus. Itaque *Valdenses*, si antiquitati auctoritas et fides est, *uti ab aliis Haereticis, ita etiam ab Albigensibus, distinguendos esse concluditur.* Sed priusquam hac in conclusione tuto acquiescere possim, necesse erit cavere, ne quid supersit, quod mihi opponatur. Et supererit haud dubie iis, qui calculum adjiciunt MURATORIO, gravi viro, cujus ex opinione (4) *Paterinis* Italiae vires ministravit vicina *Gallia*, *in qua*, ait, *praecipue Albigensium*

---

(1) Vide *Decret.* LUCII. § 3. descriptum. REINER. in *Bibl. Patr. l. c.* p. 266 sqq. *Summam* REINERI. *l. c.* p. 1761.

(2) L'ENFANT. *l. c.* p. 33 sqq.

(3) Cf. praeter *ll.* § 7. cc. MATTHAEUS PARISIUS, *Opp.* p. 429.

(4) *L. c.* p. 86.

ac Waldensium sectae MANETEM *sequutae, in grave incendium eruperant* (1). Utique *Valdensibus* a STEPHANO *de Borbone* tribuuntur nonnulla placita *Manichaeismi* vel *Gnosticismi.* Nimirum *animam primi hominis esse divinae substantiae portionem, et ipsum Dei spiritum, vel de eo esse:* tum *spiritum hominis, ex quo bonus sit, si moriatur, esse eundem quem spiritum Dei et ipsum Deum: spiritum non esse in coelo, nisi spiritum Dei, qui sit ipse Deus; nec aliam animam esse ibi nisi Deum:* porro *quemlibet bonum hominem esse Dei filium, sicut* CHRISTUM *eodem modo: et cum dicunt se credere Incarnationem, Nativitatem, Passionem et Resurrectionem* CHRISTI; eos *veram Conceptionem, Nativitatem etc.* hanc ducere, *cum bonus homo concipiatur, nascatur, resurgat per poenitentiam, vel adscendat in coelum; cum Martyrium patiatur, illam esse veram Passionem* CHRISTI. Gravissima haec sunt eorum, quae RICCHINIUS (2) ex STEPHANO excerpsit. Et sane, si probari posset, *Valdensium* sectam ita sensisse, disputationis supra habitae vis valde infringeretur. Sed primum auctor testimonii sui fidem haud parum imminuit, cum memorando confessionem multorum, unde se haec audivisse narrat; tum vero aperte declarando hisce inesse, quae nonnullis hominum illorum tantum placeant. Deinde accusatio ejus incurrit in omnia, quae scriptores medii aevi, quotquot hac de re egerunt, nobis unanimi tradunt consensu (3). Denique concedi potest fuisse homines, *Valdensibus* adhaerentes, qui, ut vulgo fieri so-

---

(1) Similiter L'ENFANT, *Histoire du Concile de Pise.* Tom. II. p. 49. *Gazarorum Patarinorum, Pauperum de Lugduno* nomina non differre ait ab iis, quae darentur *Valdensibus;* sed nullo plane argumento utitur.

(2) *L. c.* p. XLI-XLIII.

(3) Leve est, *Valdensibus* apud MARTENE et DURAND *l. c.* p. 1755. tribui opinionem: *quod quilibet bonus homo sit eodem modo Dei filius, sicut* CHRISTUS, *habens animam pro divinitate.* Ita enim legitur in *tractatu* incerti auctoris de *Valdensibus*, quem manum alienam *Disputationi inter Catholicum et Paterinum Haereticum* temere inseruisse, ex eo novimus, quod haec *disputatio* jam ante finem seculi XII scripta est, tum vero *Valdenses* tam longe ab Ecclesia nondum discesserant, quam auctor eos in *tractatu* suo discedentes facit. cf. SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 480.

let, ad opiniones deteriores laberentur; sed *Valdensibus* puris, vel integrae sectae, cujus hîc ratio habetur, hanc culpam scribendam non esse, ipse RICCHINIUS tam explicate monuit, ut mihi tacere liceat (1).

Multo minorem nobis molestiam creant libri EBRARDI et ERMENGARDI (2), quorum alter inscriptus est *contra Waldenses*, alter *contra Waldensium sectam.* Nam GRETZERUM falsos finxisse titulos, ut jam docuerunt NATALIS ALEXANDER (3) et RICCHINIUS (4), sic nemo hodie inficiabitur. Unum est in EBRARDI libro, quod prima fronte mirum videatur, ab initio *Capitis* II haec legi: *Patriarchas etenim damnationi deputant Valdenses et Prophetas, et omnes etiam, qui ante passionem decesserunt.* Sed vocem *Valdenses* temere hunc in locum importatam esse, intelligimus, cum ex ipsa orationis structura, tum ex eo, quod auctor, *Valdensibus* in omni disputatione praetermissis, *Capite* demum XXV se ad eos refellendos transire declarat. Quid? quod corruptor fraudem suam occultare nescivit, cum EBRARDUS Cap. XXV scripsisset *Vallenses*, ipse vero Cap. II *Valdenses* ederet.

§ 10.

Valdensium sectam ab Albigensibus, qui dicuntur, discernendam esse, confirmat ejus Historia.

Duo jam habui, quibus probare conarer, *Valdensium* sectam ab *Albigensibus*,

---

(1) Cf. ENGELHARDT, *Handbuch der Kirchengeschichte.* Tom. II. p. 337, 338.
(2) *Biblioth. Patr.* Tom. XXIV. p. 1525 sqq. et 1602 sqq.
(3) *L.* Supra *c.* p. 6.
(4) *L. c.* p. XLIV.

qui dicuntur, discernendam esse. Haud acriter fortasse reprehendi mererer, si hîc priori disputationis Capiti finem imponerem. Sed ut argumenti ratio vetat, ne sectae illius historia silentio praetermittatur; sic ea hoc loco attingenda videtur, quoniam nobis praebet quae supra dictis pondus et momentum afferant. Et tria quidem maxime sunt consideranda. Primum inquirendum est in sectae *originem;* deinde *in sentiendi et agendi rationem*, quae ei tribuitur; denique in *sententias, quas recentioribus temporibus fovisse traditur.* Haec singula autem si concurrunt ad probitatem causae, quam suscepimus, confirmandam; sine scrupulo statuere poterimus quod supra positum est: *Valdensium sectam ab Albigensibus, qui dicuntur, discernendam esse, confirmat ejus Historia.*

§ 11.

Ex sectae Valdensium origine inter hanc et Albigenses interesse intelligimus.

Quemadmodum multarum rerum natura facile cognoscitur, si mente penetramus ad principia, unde profecta sunt; ita *ex sectae Valdensium origine inter hanc et Albigenses interesse intelligimus.*

Vidimus supra (1) fuisse viros doctos, qui *Valdensium* sectam ex antiquitate remotiore provenisse contenderent. Quibus igitur si fides est, statuere debemus homines, ad hanc sectam pertinentes, ab Apostolorum, vel saltem a SILVESTRI tempore jam exstitisse; per multa secula in *Vallibus*, quas incolerent, et unde nomen haberent, latuisse; CLAUDIOque inprimis *Turonensi* auctore et deinceps variis sectis adjutricibus, Ecclesiae Romanae se opposuisse,

(1) § 2. p. 7, 8.

et sententias fovisse ad CHRISTI doctrinam proxime accedentes (1). Argumenta vero, quibus hanc tueri conantur opinionem, ut pauca sunt, ita levioris ponderis. Provocatur praesertim ad REINERI verba (2): *Dicunt* (Pauperes *Lombardi*) *quod Ecclesia* CHRISTI *permansit in Episcopis et aliis praelatis usque ad B.* SILVESTRUM, *et in eo defecit, quousque ipsi eam restaurarunt: tamen dicunt, quod semper fuerunt aliqui, qui Deum timebant et salvabantur:* uti et ad illa, quae apud *Pseudo*-REINERUM (3) leguntur: *Inter omnes has sectas, quae adhuc sunt, vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiae, quam Leonistarum. Et hoc tribus de causis: Prima est, quia est diuturnior. Aliqui enim dicunt, quod duraverit a tempore* SILVESTRI, *aliqui, a tempore Apostolorum.* Sed altero in loco *Valdenses* inducuntur dicentes, quamvis inde a SILVESTRO nunquam desiderarentur homines verae doctrinae tenaces et salutis participes; ab Ecclesiae tamen depravatione tum facta, usque ad instaurationem ejus, quae sibi deberetur, multum interfuisse temporis: ut hujus sectae antiquitas hoc testimonio potius tollatur quam stabiliatur. Alteri autem loco fides haberi nequit, quippe profecto a corruptore, qui et, cum multis aliis, ne ipsum quidem REINERUM intellexisse videtur. Quod autem ex monumentis quibusdam supra memoratis ad priscam *Valdensium* originem tuendam petitur, primum quidem vi caret probandi, quoniam monumenta illa recentioris aetatis esse satis constat; deinde si vel vim haberet probandi, valeret tantum ad dirimendam quaestionem, num haec secta sexaginta aut septuaginta annos antiquior sit,

---

(1) Vide LEGERUM *l. c.* p. 12 sqq. RÖSSLER *l. c.* p. 26 sqq. DIETERICI. *l. c.* p. 13, 14. Quorum sententiae calculum adjecit MUNTINGHIUS, *Historia Religionis et Ecclesiae Christianae.* p. 215. Cf. et copiosa disputatio ALLIXII, *Some remarks upon the Ecclesiastical History of the ancient Churches of Piedmont.* p. 191 sqq.

(2) Apud MARTENE et DURAND *l. c.* p. 1775.

(3) *Bibl. Patr. l. c.* p. 264.

quam vulgo statuitur; in omnia denique, quae scriptores medii aevi tradiderunt, tam aperte incurrit, ut nemini intelligentiori moram aut difficultatem facere queat. Si quis forte arguit, *Valdenses* ipsos, ut ex MONETAE, PILICHDORFII aliorumque libris apparet, priscam suam originem declarasse; nihil profecto agere videtur: si quidem illi homines sibi hoc tantum voluerunt, per secula praecedentia fuisse plures, qui de Ecclesiae Romanae erroribus et superstitionibus secum consentirent (1). Et sane negare non ausim, sectas, quae ab initio seculi XII et jam ante exstiterint, his hominibus melioris doctrinae lucem quodammodo attulisse, et viam iis munivisse, Pontificibus et Monachis se opponendi. Quod non solum de *Arnoldistis*, *Petrobrusianis* et *Henricianis* dixerim; sed etiam de aliis, qui minorem famam consecuti sunt (2).

Valdenses a scriptoribus aevi medii, si paucas excipimus nugas de eorum nomine allatas (3), originem ducere feruntur a cive quodam *Lugdunensi*, PETRO, cognominato a plerisque VALDO vel WALDO, ab aliis paulo aliter. Quid eum ad sectam congregandam impulerit, vario modo nobis tradunt, ita tamen, ut communi consensu declarent, hominem illum ad Literarum Sacrarum et locorum ex Patribus Ecclesiasticis decerptorum, quorum interpretationem sibi acquisivisset, lectionem se contulisse, eumque alios, quae hinc de vita maxime mutanda et emendanda eruisset, et docuisse ipsum, et misisse, qui do-

---

(1) FÜSSLI. *Kirchen und Ketzer-hist. der mittl. Zeit.* Tom. I. p. 293 sqq. cff. SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 527 sqq. GIESELER *l. c.* p. 551 sqq.

(2) *Gesta synodi Attrebatensis* apud D'ACHERY. Tom. I. p. 607-624. NEANDER, *der heilige* BERNHARD *und sein Zeitalter*. p. 320 sqq. GUERIKE *l. c.* p. 386. cf. et HUGO *Rothomagensis*, *contra Haereticos sui temporis. Bibl. Patr.* Tom. XXII. p. 1344 sqq.

(3) Cujusmodi est BERNARDI in *Bibl. Patr.* Tom. XXIV. p. 1585. *Haereticos* illos appellans, *qui*, *quodam praesagio futurorum sortiti vocabulum, dicti sunt Valdenses; nimirum a valle densa; eo quod profundis et densis errorum tenebris involvantur.*

cendi munus secum obirent (1). De tempore autem, quo *Valdenses* in lucem prodierint, Veteres, pars mentem non explicant, ceteri inter se differunt; unde factum est, ut recentiori memoria inter viros doctos etiam dissensio oriretur. SCHROECKHIUS (2) nihil amplius definire ausus est, quam quod secta intra annum MCLX et MCLXXX originem ceperit. Haud pauci eam anno MCLXX exstitisse censent (3); quod multum habet probabilitatis. Quidquid vero hujus rei est, nemo Veterum eos, quantum novimus, anno MCLX antiquiores fecit (4).

Et sane scriptores, qui antea vixerunt, nullam plane mentionem *Valdensium* injiciunt; et ne scriptores quidem, qui *Haereticis* sui temporis se opposuerunt, uti EVERWINUS, *Sanctus* BERNHARDUS, ECKBERTUS (5). Quod si quis inde explicare velit, quod homines illi in vallibus suis latuerunt; vel sumere debet, singulos ibi in occulto tantum fidem negasse Ecclesiae; vel statuere, universos societatem ab Ecclesia discedentem iniisse. Atqui illud nihil aliud est, quam quod concedent omnes, ante annum MCLX haud dubie plures fuisse, qui animum haberent a Pontificibus et Monachis alienum: hoc vero se ipsum evertit; cum omnis testetur historia, nullam *Haereticorum* sectam se tam provide celasse, quin brevi deprehenderetur. Et quî tandem fieri potuit, ut diu in latebris maneret secta, quae non id agebat, ut placita sua sibi suisque liberis et nepoti-

---

(1) Legantur ALANUS *l. c.* Lib. I. Cap. I. PETRUS MONACH. Cap. I. *l. c.* p. 557. STEPHANUS DE BORBONE apud RICCHINIUM. *l. c.* p. XXVII, sqq. YVENOT *l. c.* p. 1777. *Chronicon Belg.* ad ann. 1197. p. 199. PILICHDORF. *l. c.* p. 278. *Chronicon* CORNELII ZANTFLIET apud MARTENE et DURAND, *Veterum Scriptorum et Monumentorum Collect.* Tom. V. p. 501, 502.

(2) *L. c.* p. 529.

(3) SEMLERUS, *Hist. Eccl.* Tom. III. p. 110. GIESELER *l. c.* p. 551. HENKE et VATER *l. c.* p. 315. ENGELHARDT *l. c.* p. 334.

(4) Cf. praeter l. l. supra cc. SANDERUS *l. c.* p. 471.

(5) EVERWINII *Epist.* ad S. BERNHARD. in BERNHARDI Opp. Tom. I. p. 1460. Mabill. Ipsius BERNHARDI sermones LXV et LXVI. in Cant. ibid. ECKBERTUS *l. c.*

bus servaret, sed ut ea ad extraneos propagaret? Nihil aliud igitur restat, quam ut scriptores memoratos de *Valdensibus* tacuisse censeamus, quod illi, tempore suo, nondum exorti essent. Quam etiam ob causam BERNARDUS *de fonte Calido* iis novitatem suam objicit, tractatum sic incipiens: *Sanctae Romanae Ecclesiae praesidente Domino* LUCIO, *inclitae recordationis; subito extulerunt caput novi Haeretici* (1). Quid? quod prima eorum vestigia nusquam alibi reperiuntur, quam *Lugduni*, unde *Lugdunenses Pauperes de Lugduno*, *Leonistae* appellati sunt (2). Hinc autem quomodo Seculo XII ad finem vergente, ulterius, et quidem in *Italiam*, *Galliam*, postea in *Germaniam* progressi sint, tanquam digito monstrare possumus (3). Verbo dicam, omnia recentem *Valdensium* originem adeo produnt, ut statuere non vereamur, hanc sectam post annum MCLX et PETRO quidem VALDO auctore exstitisse.

Jam vero, si haec *Valdensium* constat origo, inde sequitur, inter eos et *Albigenses* interesse. Omnis enim ratio, qua caput extulerunt, vehementer discrepat ab iis, quae de *Albigensibus* nobis tradita sunt. Tum multos annos, ut infra probabitur, exstiterunt, antequam *Albigensium* appellatio tanquam jus civitatis acciperet. Denique *Catharos*, quibuscum in libris Veterum, *Albigenses Manichaeismi* vel *Gnosticismi* placita communia habuisse dicuntur, longiore temporis intervallo sequuntur, quam ut eundem in locum numerumque referri possint: nisi quis forte cupidius et absque ullo argumento, ex antiquis scriptoribus petito, sumere velit, ex *Catharorum* semine *Valdensium* sobolem procreatam esse.

---

(1) *Bibl. Patr.* Tom. XXIV. p. 1585.
(2) Constitutio FREDERICI nomina, non sectas discernens, simul loquitur de *Leonistis* et *Valdensibus*.
(3) Cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 536, 538, 595, 611, 613, 614.

§ 12.

Inter Albigenses et Valdenses interesse, ex studio, quod huic sectae tribuitur, itidem apparet.

Uti ex Origine *Valdensium*, sic *ex studio, quod huic sectae tribuitur, itidem apparet, inter eam et Albigenses interesse.* Quod enim Historia docet Ecclesiastica, varias exstitisse sectas, quae exstiturae non fuissent, nisi homines, leviter discedentes, injuriis ad se separandos lacessiti essent; novo hîc exemplo confirmatur. Equidem certe ita sentio, Pontifices et Monachos sua, cum imprudentia, tum superbia, peperisse lites et controversias, quas per longam seculorum seriem cum *Valdensibus* egerunt. Quorum si studium in Ecclesiam consideramus, clarissime videmus, quam longe diversi ab *Albigensibus* fuerint. Profecto tantum abest, ut PETRUS VALDUS ab initio, si vetustati fides est, societatem hominum condere voluerit, qui Ecclesiam Romanam desereret, ut consilium unice ceperit Ecclesiae socios docendi, quae in Litteris Sacris et Patrum scriptis legisset, eosque hac doctrina ad vitam meliorem perducendi. Idem plane sibi primos ejus sectatores proposuisse et egisse nobis traditum est. Mox vero iis obstitit JOANNES, Archiepiscopus *Lugdunensis*, deinde Papa ALEXANDER III, anno MCLXXXIV LUCIUS III, eos una cum *Catharis* aliisque *Haereticis* condemnans et exsecrans. Jam probabile quidem est, eos, libris Apostolorum et Patrum versandis et cum doctrina, quae suo tempore vigebat, comparandis, nonnullos Ecclesiae errores animadvertisse; sed ex narrationibus tamen, quas aequalibus eorum debemus, omnino sequitur, eos aliquamdiu adhuc in Ecclesia mansisse, et a gravioribus illius superstitionibus exagitandis se abstinuisse (1). ALANUS sane *Haereticos*,

---

(1) Cff. SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 529 sqq. GIESELER *l. c.* p. 554 sqq. HENKE et VATER. *l. c.* p. 317.

qui libro I refutantur, repugnantes inducit adversus ea, quae vulgo de *Baptismo*, *Transsubstantiatione*, *Confirmatione*, *Unctione* credebantur, *Valdenses* vero non item. Immo ad hos redarguendos transgressus, nihil aliud iis objicit, quam opiniones falsas quidem, sed religionis Capita minus spectantes. In contrariam partem forte excitabuntur nonnulla, quae continet tractatus BERNARDI *de Fonte Calido*, circiter annum MCXC scriptus. Ibi sane prima fronte *Valdenses* gravioris impietatis accusari videntur. Quamvis enim libri titulum *contra Vallenses et contra Arianos* recte jam *Ricchinius* (1) ita corrigendum esse vidit, ut *Arianorum* nomen deleretur; dubitari tamen nequit, quin *Valdenses* in eo notentur. Sed vel sic quidem in titulo est, quod jure reprehendatur: siquidem auctor aliis se *Haereticis* aeque ac *Valdensibus* opponit; ut ipse dicit in praefatione, ubi, memorato colloquio, quod recenter cum *Valdensibus* habitum erat, sic pergit: *Quibus autem auctoritatibus vel rationibus suam assertionem defenderent, quidve eis a nobis Catholicis responsum sit, aut quibus scripturarum testimoniis fidem tueremur Catholicam, praesenti inteximus opusculo; adjectis etiam quibusdam aliis tractatibus contra alias haereses.* GRETZERUS igitur denuo peccavit multisque viris doctis recentioris etiam memoriae fraudem fecit: cum liber inscribendus sit, *contra Valdenses et alios Haereticos.* Jam vero locis illis, quae mihi objici possunt, ipse BERNARDUS perspicue declarat, se in mente habuisse *Haereticos* a *Valdensibus* distinguendos. *Sunt vero*, ait, *Haeretici quidam, qui asserunt, animas a carne solutas continuo ascendere in coelum; aut descendere in inferni supplicium. Negant enim ignem purgationis. — — Sunt e contra alii, qui dicunt, animas nec coelum, nec infernum ingredi ante judicium, sed animas justorum placidis contineri receptaculis; reproborum vero spiritus in locis poe-*

(1) *L. c.* p: XLIV.

nalibus: piorum vero receptacula vocari Paradisum, sicut malorum loca poenalia Infernum: post judicium vero electos sidereas possidere mansiones, et reprobos inferni cruciatibus torqueri. Praeterea apponunt iniquitatem super iniquitatem, et domum Dei, domum utique orationis, contemnentes, malunt orare in stabulis, vel in cubiculis, seu in thalamis, quam in Ecclesia. Et ad majorem contemptum mulierculis et insipientibus persuadere nituntur, non esse Ecclesiam, nec sic debere vocari (1). Aliter judicandum est de eo, quod praecedit: *Et quoniam mos est male errantium, nisi continuo resipiscant, in deteriora labi, ut qui nocent, noceant adhuc; et qui in sordibus sunt, sordescant adhuc; ut et consummatur nequitia peccatorum; audeant jam insani Haeretici eis, quos seducunt, dicere: defunctis nil prodesse fidelibus vivorum eleëmosynas, jejunia, orationes, nec etiam Missarum solemnia, seu orationes pro eis factas.* Sed uti haec ipsa verba ostendunt, *Valdenses* ab initio non improbasse officia, quae hominibus defunctis praestarentur; ita libenter concedimus, inter eos fuisse, qui circa annum MCXC jam in Ecclesiam ejusque doctrinas invehi inciperent. At negligi tamen nolumus testimonium PETRI *Monachi*, qui post annum demum MCCIX scripsit, et leviores illos quatuor *Valdensium* errores, quos supra (2) memoravimus, praecipuos esse dixit. Et non prorsus dissentiendum esse putaverim a RICCHINIO censenti (3), eos multas opiniones, quarum postea fautores fuerint, ante annum MCCX. nondum disseminasse. Sed cautio adhibenda est, ne in re multae adhuc obscuritati involuta, a vero aberremus. Probabile est, *Valdenses* se jam quodammodo in partes divisisse ab eo tempore, quo, in exteras etiam regiones profecti, sedem ibi figerent. Notatu digna

---

(1) Cap. 9, 10, 11, 12. *Bibl. Patr.* Tom. XXIV. p. 1599 sqq. cf. omnino GIESELER. *l. c.* p. 562 sqq.
(2) § 6. p. 25.
(3) *L. c.* p. XL.

sunt verba PILICHDORFFII (1): *Cum autem diu in paupertate stetissent, inceperunt cogitare, quod etiam Apostoli* CHRISTI *non solum erant pauperes, imo etiam praedicatores, coeperunt et ipsi praedicare verbum Dei. Quod postquam ad sedem Apostolicam pervenisset, mandat Dominus Apostolicus, quod cessarent, cum praedicatio verbi Dei rudibus et illiteratis non conveniat: ipsi noluerunt obedire, quasi hoc Romana Curia ex invidia prohiberet. Quo comperto, Ecclesia excommunicavit eos; et ipsi resistentes contumaciter ab Ecclesia condemnati sunt. Et quia jam in palam praedicare non praesumebant, occulte saltem praedicabant. Unde in odium Clericorum et Veri Sacerdotii, ex antiquis erroribus Veteranorum Haereticorum, et superadditis novis et damnosis articulis, inceperunt, solis exceptis Sacramentis, omnia destruere et condemnare, per quae Clerus, velut pia mater, filios congregat, sicut Gallina congregat pullos suos sub alis.* Fieri quoque potuit, ut alii Ecclesiae valedicerent, dum alii in ejus communione manerent, seu doctrinam ejus nondum omnino repudiantes, seu periculi amovendi causa fidem simulantes (2). Quae eos una cum *Albigensibus* ad Hierarchiam evertendam egisse supra commonstravimus, tempora spectant recentiora seculi XIII. uti et secula XIV et XV. Nunc satis nobis sit ex studio horum hominum ostendisse, eos cum *Albigensibus* illis neutiquam confundendos esse, quippe qui, ut supra jam probatum est et uberius probabitur infra, longe alii studio se dederint. Accedit peculiaris appellatio *Pauperum*, a vivendi genere desumta, quae permansit in usu, postquam pars eorum in *Italiam* abierat. Alteri enim *Pauperes* dicebantur *de Lugduno*, alteri *Pauperes Lombardi.* Cetera nomina *Sabatatorum*, *Insabatatorum*, *Humiliatorum*, vitam itidem tenuem significantia, uti

---

(1) *L. c.* p. 278.
(2) Cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 554, 555.

et Pauperum Spiritu, verbo attigisse sufficiet (1). Sed haec quoque, cum *Albigenses* ea nusquam gessisse ferantur, inter hos *et Valdenses* interfuisse docent.

De efficacitate, quam *Haereticorum* variorum exemplum in studium *Valdensium* habuerit, pauca tantum nobis retulerunt Veteres. RICCHINIUS conjecit, eos ex prava *Albigensium* consuetudine multas opiniones perversas imbibisse. Quod si de opinionibus dicitur in Ecclesiae Hierarchiam et turpissimas superstitiones incurrentibus, haud prorsus negaverim; quamquam credere malim, Literarum Sacrarum lectionem earumque comparationem cum Pontificum et Conciliorum decretis magis magisque caliginem oculis eorum offusam discussisse: tum vero injurias, quas repellere deberent, eos ad acriores lites de doctrina agendas impulisse. Atque hinc factum est, ut iisdem tandem armis atque alii Ecclesiam oppugnarent. Sed hos homines cum *Albigensibus* aut quibusvis *Haereticis* societatem iniisse, cujus tanquam vinculo ad deteriora placita sequenda corrumpi possent, nemo Veterum nobis tradidit. Immo vero in communi adversus Ecclesiam certamine, ab iis semper separati manserunt; ut ex eo jam luculenter apparet, quod seorsim ab Inquisitoribus excitabantur, interrogabantur, condemnabantur (2). Quin etiam eos aliis, et illis quidem, qui *Albigenses* vulgo vocantur, renitentes inducit GUILIELMUS *de Podio Laurentii*, de *Haereticis Galliae* Meridionalis scribens: *Erant quidam Arriani, quidam Manichaei, quidam etiam Waldenses sive Lugdunenses, qui, licet inter se dissides, omnes tamen in animarum perniciem contra fidem Catholicam conspirabant. Et illi quidem Waldenses contra alios acutisssime disputabant* (3). PILICHDORFFIUS *omnes*, ait, *Catholici de quatuor plagis mundi concordant in fidei unitate. Non sic Haeretici*,

---

(1) Cff. SEMLER. *l. c.* Tom. III. p. 148. GIESELER *l. c.* p. 554.
(2) Cff. quae disputavimus § 3. et ll. Veterum ibi ll.
(2) *Praef. l. c.* p. 666.

quorum quidam alios reprobant et condemnant; sicut Waldenses reprobant, imo nauseant Runcaros, et Beghardos, et Luciferianos, et alios diversos (1). Quod testimonium recentioris quidem aetatis est, et lites tangit cum aliis quam *Albigensibus* actas; sed tria tamen docet: primum *Valdenses* fuisse inter paucos illos *Haereticos*, qui sectas extraneas fastidirent; deinde eos fastidivisse homines, opinionibus servientes, quales *Albigensibus* tributae sint; denique eos hoc in fastidio sibi ad seculum XV fere medium constitisse. Neque igitur mirandum est, DURANDUM *de Osca*, ad Ecclesiam reversum, *Haereticos* quidem odio habuisse, *Valdensibus* vero ita favisse, ut eos *Pauperes Catholicos* facere conaretur (2).

§ 13.

Recentiorum etiam Valdensium sententiae sectam semper ab Albigensibus discrepasse docent.

Si disputatis vim et robur adjicere volumus, memoria renovanda est seculi XVI et sequentium. *Recentiorum enim Valdensium sententiae sectam semper ab Albigensibus discrepasse docent.* Utique de placitis, quae sectae illius, inde a sacrorum instauratione, propria fuerunt, nulla inter Viros doctos controversia est. Neque igitur quis a nobis postulabit, ut copiose ostendamus, eam religionis doctrinas professam esse et usque profiteri, quae, paucis exceptis, cum *Lutheranorum*, et *Reformatorum* doctrinis egregie conveniant. Quod quomodo fieri

(1) *L. c.* Cap. 11, 12. *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 280.
(2) Cf. GIESELER. *l. c.* p. 616 sqq.

potuerit, si horum hominum majores cum *Haereticis*, *Manichaeismi* vel *Gnosticismi* sectatoribus, quales *Albigenses* fuisse feruntur, conspirassent, equidem non intelligo. Haud ignoro, rebus humanis accidere solere, ut varias identidem subeant mutationes; sed *Valdenses* aliquando ita mutatos esse, ut ab uno Deo, totius Universitatis auctore, colendo, ad *Manichaeismum* vel *Gnosticismum* dilaberentur, et per se incredibile est, et ne rumore quidem accepimus. Itaque ratio sic concludenda est, *Valdenses* recentioribus temporibus permansisse, quales majores eorum fuissent, homines ab *Albigensibus* omnino discrepantes (1).

(1) Omnium instar legatur LEGERUS. *l. c.* p. 205 sqq.

CAPUT POSTERIUS.

QUOMODO VALDENSIUM SECTA AB ALBIGENSIBUS DISTINGUENDA SIT, OSTENDITUR.

---

§ 1.

Praeparatio ad Valdenses ab Albigensibus bene distinguendos.

Capite superiori vidimus, *Valdensium sectam revera ab Albigensibus distinguendam esse.* Verumtamen duo forte mirati sunt lectores: alterum, *Albigensium* commemorationi saepissime adjectam esse formulam *qui dicuntur;* alterum, ad Veterum testimonia, judicio rarius interposito, factam esse conclusionem. Sed satis mihi erat, ex his testimoniis probare, veram iniisse viam, qui inter utriusque generis homines interfuisse statuerent. Quid vero inter eos interfuerit, hoc posteriori demum Capite explicandum est. Quapropter etiam plus semel, ne locum alienum occuparem, provocavi ad disputationem infra habendam. Nunc igitur *ostendere conabor, quomodo Valdensium secta ab Albigensibus distinguenda sit.*

§ 2.

Cautiones in Valdensium et Albigensium distinctione adhibendae.

Disputationis limine nondum superato, *Cautiones jam in Valdensium et Albigensium distinctione adhibendas esse* animadvertimus. Haud pauca enim eorum, quae Veteres nobis hac de re tradiderunt, tam vaga et infinita sunt, ut incautus quisque facile in errorem inducatur. Quod exemplo suo docent multi viri docti, qui post sacrorum instaurationem ad nostram memoriam hoc argumentum tractarunt. Nec tantum lapsi sunt, qui *Valdenses* eodem loco et numero atque *Albigenses* habendos esse contendebant; sed plerique etiam eorum, qui, rectius sentientes, id acriter agebant, ut alteri ab alteris discernerentur. Vehementer fallor, aut nuperrime demum mihi, ut oportebat, commonstrata via est discriminis, quod inter utrosque faciendum est, pro viribus meis exponendi. Et GIESELERUS quidem (1) *Albigensium* nomen ab eo tempore, quo expeditio militaris in *Albigesium*, regionem *Galliae* meridionalis, susciperetur, *Haereticos* significasse monet, primum omnes, quotquot militibus cruce-signatis se opponerent, deinde vero *Catharos*. Similiter GUERIKE (2), mentem sic explicans: Expeditionem hanc militarem vulgo expeditionem dici adversus *Albigenses*, quoniam eo tempore, quo illa perageretur, *Haeretici Galliae* meridionalis, variarum sectarum, praecipue vero *Catharorum* sequentes placita, voce ab *Albis*, *Albigesii* urbe, derivata, *Albigenses* appellati sint. Nec longe hinc discessit ENGELHARDTUS

(1) *L. c.* p. 571.
(2) *L. c.* p. 480.

scribens (1): Expeditionem adversus *Haereticos* initium cepisse in *Albigesio*, regione *Albis* subjecta; milites, quibus hîc primum obviam irent *Haeretici*, ab hoc tempore omnes *Haereticos Galliae* meridionalis *Albigenses* vocasse: bello sopito *Albigenses* et *Valdenses*, qui utrique, eo flagrante, vulgo *Albigensium* nomine comprehensi essent, rursus distinctos esse, cum sectae *Manichaeismo* vel *Gnosticismo* deditae *Albigenses*, illae vero, quae de religionis capitibus cum Ecclesia conveniebant et nova tantum quaevis, per *Hierarchiam Papalem* introducta, rejiciebant, *Valdenses* dicerentur: *Valdenses* autem se divisisse ipsos in puros, qui doctrinam PETRI *Valdi* sine qualicunque adjectione servarent, et mixtos, qui ab aliis sectis nonnulla placita mutuarentur (2). Jam vero haec talia quidem sunt, ut quaestionem magis attingant, quam exponant, neque omnem tollant disputandi causam; sed iis rectam tamen in viam ducimur. Quam igitur ingressi, duo agere enitemur, ut falsam *Valdensium* et *Albigensium* distinctionem refellamus, veram exponamus et defendamus.

§ 3.

Falsa Valdensium et Albigensium distinctio est, qua illi sectae esse dicuntur, sibi invicem omnino oppositae.

Monuimus in superiori Capite Scriptores medii aevi, qui *Haereticorum* refutationi operam dederint, *Valdenses* et *Albigenses* sibi mutuo, nominibus expressis, non opponere. Neque *Albigenses* etiam sectam constituisse tradunt, ab eo

(1) *L. c.* p. 341, 342.

(2) Conferri omnino merentur HENKE et VATER *l. c.* p. 314, 315. ubi jam reperiuntur, quae haud valde dissimilia sunt.

ipso tempore, quo appellatio usurpari inciperet, privam et peculiarem. Ubi autem CAESARIUS (1), expeditionem INNOCENTII III in terram *Albigensium* narrans, *Haeresim* memorat *Albigensium;* temporum confusione partem horum hominum pro toto sumit. Similiter auctor *Chronici Cisterciensis* (2), expeditionem ajens *in impiam Albigensium sectam* susceptam esse. Sed ex hujusmodi locis, post sacrorum maxime instaurationem, exortus error est, qui longissime serpsit, et ad nostram se propagavit memoriam. Haud pauci nempe viri docti, ubicunque *Haereticorum Albigensium* mentionem fieri videbant, sectam significari putarunt ab aliis, et sigillatim quidem a *Valdensium* secta discernendam. De quo forte nemo magis fecit, ut persuaderetur aliis, quam LIMBORCHIUS, qui quantum laboris ad hoc discrimen probandum impenderit, jam haec ejus docent verba: *Unum inquiram, an Valdenses iidem fuerint cum Albigensibus, uti communis Protestantium fert opinio, an vero fuerint diversae sectae. Aliquot utrisque fuisse dogmata communia, dubitari nequit: verum et magnam doctrinarum fuisse diversitatem, et instituta ac ritus inter utrosque usurpatos admodum fuisse discrepantes, luce meridiana clarius liquere videtur ex libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanae, quem nunc in lucem edimus, in quo plurimae in Albigenses et Valdenses pronuntiatae sententiae leguntur, in quibus multa curiosa de ipsorum doctrinis et institutis, non ita passim obvia, occurrunt; sed quae diversitatis non tantum in doctrina, sed et in ritibus et institutis indicia sunt adeo manifesta, ut quicunque aliquot in Albigenses et Valdenses pronuntiatas sententias legerit, statim atque in sententiam quandam inciderit, ex paucarum linearum lectione sit deprehensurus, an Valdensem, an vero Albigensem feriat. Quae evidens adeo diversitas me, qui hactenus com-*

(1) *Magn. Chronic. Belg.* ad ann. MCCVIII. p. 200.
(2) Ad ann. MCCX. Ed. MIRAEI.

manem secutus opinionem eosdem esse Albigenses cum Valdensibus credidi, sententiam mutare persuasit, et duas distinctas in illis agnoscere sectas (1). LIMBORCHIUM haud ita pridem secutus est vir magnae auctoritatis, SCHROECKHIUS, qui hoc auctore laudato, *Albigensium* nomine ante seculum XIII non usitato sectam a *Valdensibus* diversam denotari monuit (2). BERTHOLDTUS *Albigenses* ait, ita dictos ab *Albigesio* vel *Albio*, regione *Languadoci*, multa quidem cum *Valdensibus* communia habuisse, nec tamen utrosque, differente tantum nomine, ad unam eandemque sectam pertinuisse (3). Ita et HALLAMUS nomen *Valdensium*, serioribus temporibus cum *Albigensium* nomine confusum esse monet, sed sectam denotare diversae probabiliter originis et aliarum certe opinionum (4). Quid plures memorem? Plerique enim eorum, qui *Valdenses* ab *Albigensibus* distinguendos esse judicabant, hanc similemve ingressi sunt viam. Sed *falsam Valdensium et Albigensium distinctionem esse, qua illi sectae esse dicantur, sibi invicem omnino oppositae*, deinceps probare conabimur.

§ 4.

Primum Albigensium nomine denotarunt Veteres Haereticos Albigesii.

Incipiamus ab eo, quod minus arduum est! *In Aquitaniae*, ait MARIANA (5) *atque Tolosani principatus parte, ubi Cadurci sunt, Albis sita est, quae urbs*

(1) *Hist. Inquisit.* p. 30.
(2) *L. c.* Tom. XXIX. p. 567 sqq.
(3) *Handbuch der Dogmengeschichte.* Tom. I. p. 212.
(4) *View of the state* etc. Vol. III. p. 467.
(5) Praef. ad Luc. *Tud.* Bibl. Patr. Tom. XXV. p. 189, 190.

Veteribus Alba Augusta fuit CAESARI JULIO *in commentariis de bello Gallico, ad Tarnis fluminis ripam, cumprimis in Gallia nobilis ager, omni fertilitate conspicuus, frumenti vinique ferax, homines minime mali, innocentia, probitate, candore prae ceteris Galliae populis insignes atque praeclari, quae virtutes in perniciem vertuntur facile, si corruptor adsit, fucata oratione fallax. Ab ea urbe Albigenses, sive Albienses, sive Albici (iidem enim sunt) nomen habent.* Eandem opinionem secuti sunt RICCHINIUS (1) aliique, praeeunte MATTHAEO *Parisio*, cujus haec sunt verba: *dicuntur Albigenses ab Alba civitate; ubi error ille dicitur sumpsisse exordium* (2). Sed etiamsi largiar, vocem *Albiensis*, nonnullis in locis occurrentem, ab *Alba Helviorum* vel *Albis* duci posse; necesse tamen omnino videtur, originem appellationis *Albigensium* quaerere in *Albigesio*, id est, territorio illius urbis, quod in *Gallia Narbonensi* late patuit (3). Quapropter Veteres in narratione expeditionis adversus *Albigenses*, haud raro, cum de *Albigesio*, tum de *Albigensi* vel etiam *Albiensi territorio* et *dioecesi*, uti et de *terra Albigensium* loquuntur, hinc urbem *Albam*, vel ut scripserunt, *Albiam* distinguentes (4).

---

(1) *L. c.* p. XV.

(2) Opp. p. 241.

(3) Cff. *Histoire Generale de Languedoc.* Tom. III. p. 552. et MOSHEM. *l. c.* p. 550.

(4) Vide PETRUM *Mon. l. c.* p. 560, 575, 592, 602, 609 et CHRONICON *s. l.* p. 774. Quibus ex locis etiam apparet, haud raro etiam *dioecesin Albiensem* ab *Albigesio* vel *territorio Albigensi* distinctam esse. Et perspicuum hujus rei exemplum est in CHRONICO *l.* p. 765. ubi legimus: *Subsequenter in eodem anno* (MCCX) SIMON *cum exercitu cruce-signatorum obtinuit Alsonam, Fanum Iovis, Villam sancti Vincentii de Castris, in territorio Albigensi, Apamias, Castrumque Mirapicis et Savardunum, Lomberium et Albiam civitatem, totamque dioecesim Albiensem, exceptis quibusdam castris, quae tenebat comes Tholosanus.* CAESARIUS etiam apud PISTORIUM p. 200. loquitur *de terra Albigensium.* Paulo autem superius legimus *contra haereticos Albinenses*, quod corrigendum putarem, si Veteres in scriptione nominum sibi constitissent. In ROBERTI *de monte Append. ad Chronogr.* SIGEBERTI, a PISTORIO in *Rerum Germ. Scriptor.* edito Tom. I. p. 942. *Ratisb.* occurrunt *Albigriseos* et *Albigeseos Haeretici:* quod utrumque, sive auctoris stupori, seu manui recentiori debetur, sententiam supra propositam confirmat.

De appellationis *Albigensium* usu haud secus disputatum est, quam de ejus origine. SPANHEMIUS jam ante PETRI VALDI aetatem *Haereticos Galliae Aquitanicae* et *Narbonensis Albigenses* dictos esse statuit (1). Paulo recentius nomen fecit RICCHINIUS, haec scribens: *Albigenses, ab Alba Augusta sic primo appellatos in Concilio Lombariensi anno MCLXXVI, Manichaeae sectae propagines fuisse, nemo in dubium revocaverit, qui capitalia utrorumque dogmata expenderit* (2). Et multi alii illud jam seculo XII tritum fuisse opinati sunt. Supra vero (3) vidimus, hodie a viris doctis appellationis usurpationem tempori demum tribui, quo INNOCENTII III auctoritate in *Galliam* meridionalem missa sit expeditio militaris. Quid? quod SEMLERUS nomen *Albigensium* ante annum MCCVIII auditum fuisse negavit (4). Cui sententiae vehementer obstare videtur quod narrat GAUFRIDUS, *Prior Vosiensis* (5), qui seculo XII floruit (6), anno MCLXXXI *legatum* HENRICUM, *Albanensem Episcopum, multo cum exercitu perrexisse contra Haereticos Albigenses.* Recte quidem Monachi Benedictini monent (7), voce *Albigenses* hic non sectam denotari, sed incolas *Albigesii*, Ecclesiae adversarios; ita ut hoc loco non infringatur sententia, anno demum MCCVIII *Haereticis* nomen datum esse; sed ne sic quidem omnis tollitur difficultas, licet pro *Albigenses*, quippe recentioris temporis ignorantia profecto, corrigere ausis *Albienses.* Sic sane scriptum est in Actis Concilii *Lombariensis* (8),

---

(1) Opp. Tom. I. p. 1596.

(2) *L. c.* p. XV. Pro MCLXXVI. autem scribendum esse MCLXV. monet SIEBELER. p. 540.

(3) § 2. p. 66, 67.

(4) *Hist. Eccl. Select. Cap.* Tom. III. p. 241. SEMLERUM sequitur FÜHRMANN *Handworterbuch der Christlichen Religions und Kirchengeschichte.* Vol. I. p. 60.

(5) *Chron.* in LABBEI *Bibl. Mss. libror.* Tom. II. p. 326.

(6) Cf. SAXI *Onomast. Literar.* Tom. II. p. 269.

(7) *Hist. de Languedoc. l. c.* p. 555. cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 571, 572. ubi illi laudantur.

(8) *Coll.* MANSI. Tom. XXII. p. 158 sqq. Eadem Acta reperiuntur apud BARONIUM, *l. c.* ad ann. MCLXXVI, ubi PAGI tamen p. 422. pro *Episc. Albiens.* scripsit *Episc. Albigens.*

ubi nobis quidem *Episcopus Albiensis*, *totus populus Albiensis* et *populus Albi* occurrunt; *Albigenses* vero non item. Unde sequitur, RICCHINIUM illud, quod supra attulimus, temere scripsisse. ROGERIUM quod attinet ALHOVEDEN (1), a SCHROECKHIO (2) memoratum; ne hic quoque *Albigensium* mentionem facit; sed ad finem declamationis HENRICI *Abbatis*, ibi reperiundae, legimus: *Petita licentia, sub ea nobis est exceptione concessa, ut Albiensem dioecesim intraremus, commonituri Principem terrae,* ROGERUM *videlicet de Beders, ut et Albiensem Episcopum, quem sub custodia Haereticorum in vinculis tenebat, absolveret, et universam terram suam juxta praeceptum Domini Legati, eliminatis Haereticis, emendaret:* et his verbis a BARONIO subjicitur, in *Tolosanos et Albienses Haereticos diutius fuisse laborandum.* Majori jure quis provocaverit ad Chronicon NICOLAI TRIVETTI (3), ubi res a ROGERIO narrata sic attingitur: *Haeretici, quos Albigenses vocant, et alii multi, conveniunt circa Tolosam, male sentientes de Sacramento altaris, de matrimonio et aliis Sacramentis; ad quorum confutationem* PETRUS, *legatus Romanus, et multae aliae personae religiosae cum praedictis Regibus, licet parum profecerint, convenerunt.* Sed auctor, seculo demum XIV mortuus, appellationem suo tempore receptam inepte ad seculum XII transtulit, ROBERTI *de monte*, scriptoris multo antiquioris, locum compilans haec habentem: *Haeretici, quos Agenenses vocant, et alii multi convenerunt circa Tholosam, male sentientes de Sacramento altaris, et de conjugio, et de aliis Sacramentis. Ad quorum confutationem* PETRUS, *legatus Romanus, et multae aliae religiosae personae, cum praedictis regibus convenerunt, et parum profecerunt* (4). At NI-

(1) *Ann. Rer. Anglic.* ad ann. MCLXXVIII. apud BARON. *l. c.* p. 483 sqq.

(2) *L. c.* p. 508 sqq.

(3) Apud D'ACHERY. *Spicilegium* ect. Tom. III. p. 162.

(4) *L. c.* p. 922. Pro voce *Agenenses* quidem *Albigenses* ponere voluit PISTORIUS ad h. l. quod SCHROECKHIO *l. c.* p. 511. quoque non displicuisse videtur. Et PAGI *l. c.* p. 483. eum *Albigenses* significasse mo-

COLAUM tamen negligentiae quam ignorantiae accusare malo, cum priscam vocis *Albigensium* notionem sibi cognitam fuisse ostendit, ad annum MCCIV scribendo: *A. Domino Papa* INNOCENTIO *duodecim Abbates Cisterciensis ordinis, cum uno Apostolicae sedis Legato, in terram Albigensium pro praedicanda contra Haereticos fide Catholica destinantur* (1). Quae commemoratio terrae *Albigensium* etiam reperitur in Actis concilii *Narbonensis;* quamvis inscripta sunt ab editore *pro convertendis Albigensibus* (2).

Sequitur ex iis, quae disputavimus, nomen *Albigensium* ante annum MCCVIII, si vel pauca sint loca, ubi praecedenti tempori tribuatur, ad genus quoddam *Haereticorum* denotandum, non usurpatum esse. Mirandum igitur non est, neque apud ALANUM, neque apud alios scriptores, hoc anno antiquiores, quotquot ad refutandos *Haereticos* scripserint, nomen illud occurrere. In primis provocamus ad EBRARDUM, qui longam quidem *Haereticorum* seriem proponit, ignorantiam suam et stuporem prodens, quod tempora confundit, eosdem bis inducit, sectas temere fingit; sed ipse quoque *Albigenses* praetermittit silentio (3). Et sic quoque intelligimus, cur PETRUS *Monachus*, expeditionem adversus *Albigenses* narraturus, vocem explicandam esse judicaverit. Quod autem SCHROECKHIUS (4) eum dicentem fecit, anno demum MCCVIII nomen *Albigensium* usurpari incepisse, auctor revera non dixit. En verba ejus: *sciant qui lecturi sunt, quia, in pluribus hujus operis locis, Tholosani et aliarum civitatum et castrorum Haeretici et defensores eorum generaliter*

nuit. Sed num probabile est, vocem minus usitatam, ab auctore pro maxime vulgari scriptam, aut a librariis pro ea substitutam esse? Ceterum hic omnino *Agennenses* memorari potuisse § 5. probabitur.

(1) *L. c.* p. 181. *Bollandistae* apud MANSIUM *l. c.* p. 755. insolenter scripserunt *contra Haereticos Albiginorum.*

(2) Vide MANSI *l. c.* p. 753, 754. Commemoratio nominis *Albigensium* in *additamento ad Concilium Lateranense* III. p. 242. et apud MATTH. PARIS. p. 137. neminem morabitur, qui attenderit animum ad ea, quae disputavimus Cap. I. § 5. p. 18, 19.

(3) Cap. 26. *l. c.* p. 1575 sqq.

(4) *L. c.* p. 570, 571.

Albigenses vocantur: eo quod aliae nationes, Haereticos Provinciales, Albigenses consueverint appellare (1). Equidem negare nolo, homines, ante annum MCCVIII de incolis *Albigesii*, et cum ibi seculo XII multi jam *Haeretici* fuerint, de incolis hujus regionis *Ecclesiae adversariis* loquentes, *Albigensium* usos esse nomine: quod res ipsa loquitur fieri debuisse, quando de iis sermo haberetur. Sed ab eo demum tempore, quo expeditio in *Galliam* meridionalem pararetur et mitteretur, omnium in ore *Albigenses* esse inceperunt. Haec regio nempe prima in Occidente fuit, quae militum cruce signatorum armis invaderetur, ut Pontificum Romanorum dominationi se subjiceret. Ibi Papa INNOCENTIUS III veluti fundamenta jecit *Inquisitionis* illius, cui brevi post a GREGORIO IX tribunalis forma data est (2). Jam vero cum *Albigesium* ibi latissime pateret, expeditionem susceptam esse dixerunt contra *Albigenses*. Qua voce generatim significabantur incolae *Albigesii*, quippe partim *Haeretici*, partim *Haereticorum fautores* et *defensores:* sigillatim vero *Haeretici ipsi*, quotquot ibi degebant. Et hanc quidem notionem voci adhaesisse accepimus, quamdiu illa in regione de Ecclesiae causa bella et certamina agerentur (3).

§ 5.

Haereticos Albigesii vel Albigenses dixerunt omnes, quotquot in Gallia meridionali versabantur.

Quod de *Albigesio* monuimus, uni alterique dubium fortasse videbitur, quia

---

(1) *L. c. praef.* p. 555.

(2) LLORENTE, *Histoire Critique de l'Inquisition d'Espagne.* Tom. I. p. 41 sqq. Ed. 2.

(3) Legantur *Chron.* SIMONIS *l. c.* p. 779. *Chron.* NIC. TRIV. *l. c.* p. 182. PTOLOMAEI *Lucensis annales,* in *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 961 et ODOR. RAYNALD. *l. c.* p. 176. cff. *Histoire de Languedoc. l. c.* p. 553 sqq. et SCHROECKH. *l. c.* p. 569 sqq.

scriptores medii aevi *Albigensibus* saepe aliorum locorum incolas aut *Haereticos* adjungunt. Sic in *Chronico* SIMONIS legimus (1) de *Haereticis Albigensibus, Tolosanis et Carcassonensibus;* alibi de iis, qui in terra *Tolosana, Albigensium* et *Narbonensium* fuerunt (2). Sed quemadmodum more receptum est, ut *Hollandia* nunc de tota nostra patria, nunc de ejus tantum parte dicatur; sic *Narbonenses, Tolosani, Carcassonenses* aliique, nunc ab *Albigensibus* distincti, nunc hoc uno nomine comprehensi sunt. Illud enim nomen generale fuisse, quo variarum urbium et regionum *Haeretici* designarentur, Veternm scripta perspicue docent. *Chronicon Turonense* (3) narrat: HONORIUS *Papa, Narbonensi Archiepiscopo dederat in mandatis, quod modum pacis, quam* RAYMUNDUS *Tolosanus Comes et alii Albigenses sanctae matri Ecclesiae offerebant, audiret, et quid inde faceret, remandaret.* Cujus verbis fidem facit aliud *Chronicon*, et eadem tradens, et haec insuper: LUDOVICUS *Rex Franciae, consilio Reginae* BLANCHAE *matris suae, Episcopos et Milites plurimos in terra* (terram?) *Albigensium misit, qui, venientes ad partes Tolosanas, Tolosam urbem et totum comitatum in deditionem receperunt* (4). Quemadmodum autem terra *Tolosana*, ad *Albigesium* pertinuit; sic ejusdem etiam ditionis terram *Carcassonensem* fuisse intelligimus, cum ALMARICUS *Comes Montis-fortis, de partibus Albigensium propter inopiam victualium in Franciam rediens, Carcassonam urbem fortissimam et alia castra, quae cum labore maximo super Albigenses Haereticos* acquisita fuerant, *dereliquisse* fe-

---

(1) *L. c.* p. 764.

(2) *Chron.* GUILIELM. DE NANGIS. apud D'ACHERY *l. c.* Tom. III. p. 23.

(3) Ad ann. MCCXXIV. p. 1064, 1065.

(4) GUIL. DE NANGIS ad ann. MCCXXIV et MCCXXVII. *l. c.* p. 30, 31. Ita et in loco, quem nobis monstravit SCHLOSSER, *Weltgeschichte in zusammenhängender Erzählung.* Tom. III. Part. 2. Sect. 1. p. 224. memorantur *privilegia et dona, quae* AMALRICO *fecit Ecclesia Romana, super comitatu Tolosano et alia terra Albigesii.*

ratur (1). Similiter terra *Aginnensis* (2) quoque *Albigesii* nomine comprehensa est, quippe quam milites, ad *Albigenses* subigendos missi, armis quoque petierunt (3). Neque hoc sine gravi causa factum est, siquidem terra illa *Haereticis* plena erat (4). Ita et comitatus *Avenionensis* disertis verbis ad *Albigesium* refertur a GUILIELMO *de* NANGIS, ubi narrat: LUDOVICUS *Rex Franciae et omnes crucesignati, circa Ascensionem Domini iter arripientes adversus Haereticos Albigenses, apud Avenionem urbem in vigilia sancti* BARNABAE *Apostoli pervenerunt. Erat autem illa civitas a septennio excommunicationi supposita, propter haereticam pravitatem* (5). Quocum convenit quod habet *Chronicon* S. MEDARDI: LUDOVICUS *Rex Franciae, cum maximo Francorum exercitu, in virtute magna, in terram Albigensium profectus est, et civitatem Aviennensem obsidione circumdedit, et post multos assultus et labores ipsam sibi subjecit, cum multis civitatibus, villis et castellis* (6). Quin etiam totam *Galliam Narbonensem Albigesii* nomen tulisse crediderim. Locus certe clarus est in *Chron. Turonensi* (7). SIMON *Comes Montis-fortis, dum Tolosam obsidet, ictu petrariae percussus, moritur in crastino S.* JOHANNIS *Baptistae. Erat enim eleganti forma, fide et armis strenuus, et laude dignus. Nam ex eo tempore, quo primum coeperunt Franci in*

---

(1) GUIL. DE NANGIS. *l. c.* p. 30.

(2) Alii scribunt *Agennensis*, vel *Agenensis*, ab urbe haud ignobili *Agen.* cf. BÜSCHING, *Erdbeschreibung.* Tom. III. ed. 8. p. 699, 700. Sed secutus sum *Tabulam Itinerariam Peutingerianam Segm.* I. Ed. MANNERTI, ubi legimus *Aginnum*, et sic plerique Veteres.

(3) Vide inprimis PETRUM *Mon. l. c.* p. 616.

(4) Legimus in *Tractatu s. c.* p. 768. de *Cassolio castro fortissimo in territorio Agennensi, in quo sedes Haereticorum una de principalibus erat in Agenesio, et fuerant ab antiquo homines Castri illius pessimi, et bis antea recidiverant, et jam tunc rebellabant.* Hinc sequitur, ROBERTUM *de Monte l. c.* p. 922. omnino memorare potuisse *Agenenses.* Vide quae disputavimus supra § 4. p. 75. Cf. et BOSSUET. *l. c.* p. 115, 116.

(5) *L. c.* p. 31.

(6) Apud D'ACHERY. Tom. II. p. 490.

(7) Ad ann. 1218. *l. c.* p. 1059.

partes Albigensium proficisci ad exterminandam haeresim, qua infecta fuerat provincia Narbonensis, numquam praeter semel in Franciam est reversus. Cui adjungi meretur testimonium GUILIELMI *de* NANGIS, supra jam descriptum. Et sane voce *Albigensium* a scriptoribus antiquis dictos esse *Haereticos*, qui universam *Galliam* meridionalem incolerent, ex eo intelligere nobis videmur, quod de expeditione militari non tradere solent, eam in *Avenionenses*, *Aginnenses*, *Carcassonenses*, *Tolosanos*, quin etiam *Narbonenses*, sed in *Albigenses* susceptam et peractam esse. Nunc enim certamen, quod exercitui impositum erat, *negotium Albigensium* (1) vocatur; nunc *de regno Francorum grandis profectio facta esse* dicitur *adversus Haereticos Albigenses* (2); nunc *de cunctis Galliarum partibus, tam Episcoporum, quam militum et Baronum, ac vulgi numerum infinitum, contra Albigenses Haereticos convenisse* legimus (3); postremum *pax* composita esse traditur, *inter Albigenses et Francos* (4); et multis annis post, FREDERICUS II Ecclesiae communione a GREGORIO IX expellitur *pro eo*, ut ait Pontifex, *quod venerabilem fratrem nostrum* PRAENESTINUM *Episcopum, Apostolicae sedis legatum, ne in sua legatione procederet, quam in Albigensium partibus pro corroboratione Catholicae fidei sibi commisimus, per quosdam fideles suos impediri mandavit* (5). Quae cum ita sint, statuere haud veremur, *Albigensium* nomen generale fuisse, quo *Galliae* meridionalis *Haeretici* insignirentur (6).

(1) *Chronicon* GUILIELMI de *Podio* LAURENTII. *l. c.* p. 687.
(2) DE NANGIS ad ann. MCCXI. *l. c.* p. 24. *Chron. Turon. l. c.* p. 1046.
(3) DE NANGIS, ad ann. MCCIX. p. 23.
(4) *Chron. S.* MEDARDI ad ann. MCCXXVIII. *l. c.* p. 490.
(5) ODOR. RAYNALD. ad ann. MCCXXXIX. *l. c.* p. 523.
(6) Maximam partem *Galliae Narbonensis* seculo XIII *Albigesium* vulgo vocatam esse, monuerunt jam *Benedictini l. c.* p. 552. Cf. praeter MOSHEM. SCHROECKH. aliosque s. ll. TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* quem excitavit D'ACHERY *l. c.* Tom. I. p. 208.

Cum autem haec Veterum loca nomen *Albigensium* generale fuisse doceant; inde omnino sequitur, eo *Haereticorum* non unam alteramve, sed omnes dictas esse sectas, quotquot Ecclesiae Romanae se opponerent. Illud vero aliis locis, in priori Capite jam descriptis, egregie confirmatur. Nam PETRUS *Monachus* in historia *Albigensium* tradenda, *Haereticos* variarum opinionum, ut vidimus, inducit (1), narrationi suae haec praemittens: *Et quoniam se in hoc loco quodammodo ingerit opportunitas, Haereses et sectas Haereticorum enucleatius stilo brevitatis prosequi dignum duxi.* Haud minoris ponderis sunt quae tradit GUILIELMUS *de Podio Laurentii*, cum in *Prologo*, tum in ipso *Chronico* de *Albigensibus* agens, et sectas diversas distinguens (2). Inprimis animadversione dignum est, eum nominatim memorare *Arianos*, et utroque quidem in loco; quod, cum illos omnino discernat a *Manichaeis*, errori vix tribui potest. Audiendum vero non esse ROGERIUM *ab Hoveden*, ad annum MCLXXVI narrantem: *damnatam esse Arrianam Haeresim, quae fere totam provinciam Tolosanam foedasset, coram Archiepiscopis, et Episcopis, et aliis religiosis viris et honestis subscriptis* (3), ipse nobis auctor est, cum orationem sic persequatur: *erant itaque in Provincia Tolosana quidam Haeretici, qui se appellari faciebant, Bonos homines, quos manu tenebant milites de Lumbercio, proponentes et docentes populum contra fidem Christianam: dicentes etiam, quod non recipiebant legem* MOYSI, *neque Prophetas, neque Psalmos, neque Vetus Testamentum, neque doctores Novi Testamenti, nisi solummodo Evangelia, et Epistolas* PAULI, *et septem Canonicas Epistolas, et Actus Apostolorum, et Apocalypsim*, etc. (4). Quemadmodum au-

---

(1) Locum vide § 6. p. 23, 24.
(2) Loca vide § 3. p. 14 et § 6. p. 25.
(3) Apud BARONIUM *l. c.* p. 423.
(4) Cf. SCHROECKH. *l. c.* p. 507, 508.

tem haec confusio *Arianorum* cum *Manichaeis* vel *Gnosticis* Veteres caute legendos esse docet; sic alia cautio adhibenda est, ne nomen loci pro sectae nomine accipiatur. Quam culpam vereor ne quis sibi contrahat, si de ARII sectatoribus interpretetur quod habet PETRUS *Monachus: Pauci Catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarunt.* Hîc enim homines denotari videntur, qui *Arrii* tenuerunt *Castrum*, de quo et ipse PETRUS superius et infra scripsit, et alii nobis multa narrarunt (1). Quidquid hujus rei est, silentio praeterire non possumus verba *Concilii Avenionensis*, quod anno MCCIX celebratum est: *in his partibus diversae ac damnatissimae Haereses pullularunt* (2). Sed pluribus non opus est testimoniis, ut efficiatur, variarum sectarum fuisse *Haereticos*, qui *Albigenses* dicerentur (3).

§ 6.

Familiaritate majori cum Haereticis Galliae meridionalis contracta, Albigenses imprimis dicti sunt, qui Catharorum placita sequebantur.

Expeditionem in *Haereticos Galliae* meridionalis, quotquot se Ecclesiae opponerent, susceptam esse vidimus. Sed quanto magis illi militibus cruce signatis innotescebant, tanto clarius apparebat, eos non eodem loco et numero habendos esse. Et plerosque quidem horum hominum, quamvis et ipsi inter se dissentirent, *Manichaeismi* vel *Gnosticismi* placitis, qualia *Catharis* tribuerentur,

---

(1) Vide PETRUM *Mon. l. c.* p. 629. et 634. GUILIELMUM de *Podio* LAURENTII. p. 684. Epist. INNOCENTII III. ibid. p. 738. BERNARDUS RAYMUNDI cur a GUILIELMO ibid. p. 668. dicatur *Arrianus*, equidem definire non ausim.

(2) Apud MANSI *l. c.* p. 785.

(3) Cff. praeter Scriptores s. ll. DUPIN, *Bibl. Eccles.* Tom. X. p. 166 sqq. HENKE et VATER *l. c.* p. 314, 315.

servire reperiebant. Hinc autem factum est, ut nunc *Haeretici*, *Catharorum* placita sequentes, a potiori parte, dici inciperent *Albigenses*. Atque sic nomen illud, per se late patens et huc usque de universis *Haereticis Galliae* meridionalis usurpatum, restrictiorem notionem accepit. Ita certe vocem usurpatam reperimus apud STEPHANUM *de Borbone* in loco allato a GIESELERO (1), ubi nomina *Catharorum* et *Albigensium* ut ejusdem significationis permutantur. Eodem spectat REINERI testimonium, sedecim esse Ecclesias *Catharorum*, quibus insit Ecclesia *Albigensis*. Auctorem enim de Ecclesia loqui *Galliae* meridionalis, intelligimus ex appositione Ecclesiae *Tolosanae* et *Carcassonensis* (2). At bene tamen tenendum est, *Albigensium* nomini hanc restrictiorem notionem non datam esse ab initio. Quod cum maxime docere videntur libri PETRI *Monachi*, GUILIELMI *de Podio Laurentii* et aequalium, *Haereticis* tantum memorandis, nusquam vero, ut jam supra dictum est, *Albigensibus*. Sed iisdem ex libris probe intelligimus, turpiter errasse TRITHEMIUM scribentem: *Catharorum nefandissimas haereses postea, anno MCCXVI, amplexatos esse Albigenses, qui comitatum Tolosanum ac plurimas Galliae urbes veneno suo inficere coeperint* (3). Illi enim nobis unanimi consensu narrant, milites cruce signatos, quam primum *Albigesium* attingerent, jam multos in homines incidisse, *Manichaeismo* vel *Gnosticismo* deditos. Praesertim gravissimi ponderis est testimonium PETRI *Monachi*, cujus scriptum, cum INNOCENTIO III dicatum sit, haud recentioris temporis quam anni MCCXVI, quo Pontifex ille mortuus est, esse posse novimus. Et infra ostendemus, jam seculo XII in *Gallia* meridionali satis magnam degisse copiam *Haereticorum*, qui *Catharorum* placita sequerentur.

---

(1) *L. c.* p. 599.
(2) REINERI *Summa l. c.* p. 1767. Cf. *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 269.
(3) Apud D'ACHERY *l. c.*

§ 7.

Albigensium nomine, in regionibus extra Galliam meridionalem recepto, Cathari tantum dicti sunt.

Quousque *Albigensium* nomen propagatum sit, ut non solum *Galliae* meridionalis, sed aliarum etiam regionum incolae eo uterentur ad *Haereticos* denotandos, qui sua in terra degerent, per inopiam monumentorum veterum definiri nequit. TRITHEMIO narranti (1), CONRADUM *Marburgensem*, anno MCCXIV, inquisitione aggressum esse *Albigenses Germaniae*, fidem, supra quam par erat, habuisse SCHROECKHIUM (2) persuasum erit lectori, qui meminerit et putidissimi ejus erroris supra a nobis castigati, et veri, quo CONRADUS inquisitionem incepit, temporis (3). Multo majori vero animi attentione digna sunt quae variis in locis apud MATTHAEUM *Parisium* leguntur. Narrat enim ad annum MCCXIV: *Circa dies istos, Haereticorum pravitas, qui Albigenses appellantur, in Wasconia, Arumpnia* (Arverni) *et Albegesio, in partibus Tholosanis, et Arragonum regno adeo invaluit, ut jam non in occulto, sicut alibi, nequitiam suam exercerent; sed errorem suum publice proponentes, ad consensum suum simplices attraherent et infirmos.* Hîc igitur *Albigenses* non solum alibi, sed etiam in *Hispania* opiniones suas disseminasse dicuntur. Simile quid auctor ad annum MCCXXXIV his tradit verbis: *Hoc quoque anno, Haeretici Albigenses in partibus Hispaniae et illis regionibus ita invaluerunt, ut ordinatis Episcopis haereticis, qui suam praedicarent abusionem, asserebant* (assererent?) *constanter, fidem Christianam et prae-*

(1) *Chron. Hirsaug.* ad ann. MCCXIV.
(2) *L. c.* p. 603 sqq.
(3) Cf. GIESELER. *l. c.* p. 582 sqq.

cipue incarnationis mysterium frivolum esse ac penitus abrogandum. Quid autem *illis regionibus* sibi voluerit, minus exploratum est, quoniam vix spectare potuit *Hiberniam*, de qua supra locutus erat: fortasse pronomine *illis* significavit *circumjacentibus.* Hoc satis perspicue videmus, eum *Albigensibus*, in *Hispania* commorantibus, placitum *Catharorum* tribuere. Ita et alibi, de variis *Catharorum* nominibus loquens, *Albigenses* inducit *Italiam* corrumpentes: *sub eodem tempore*, (anno MCCXXXVI) *Dominus Papa Imperatorem literis commonitoriis inhibuit diligenter, ne Italiam hostiliter intraret. Convocaverat enim Imperator tempore aestivali omnes, quas poterat, vires Imperiales: ut Italicos insolentes expugnaret, praecipue Mediolanenses. Erat enim civitas illa omnium Haereticorum, Paterinorum, Luciferanorum, Publicanorum, Albigensium, usurariorum refugium et receptaculum.* Quibuscum conveniunt quae ad annum MCCL legimus: *Albigensium, Jovinianorum et multorum Italicorum Haereses, quae pullulaverant, destruuntur. Albigenses* quidem hic, prima fronte a *Paterinis* aliisque, quos ad *Catharorum* familiam pertinuisse ostendimus (1), distingui videntur; sed notandum est, MATTHAEUM aeque ac FREDERICUM Imperatorem multosque Veteres, in recensendis *Haereticis*, haud secus varia unius ejusdemque sectae nomina, quam sectas diversas enumerasse. Si autem fides huic scriptori habenda est, *Albigenses* jam anno MCCXXIII in regionibus *Europae*, a *Gallia* meridionali longissime remotis, prodierunt. Narrat enim: *circa dies istos, Haeretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiae et Dalmatiae, nomine* BARTHOLOMAEUM. *In quibus partibus error ille adeo invaluit, ut etiam Episcopos et alios multos regionum illarum ad suam allexerit pravitatem.* Hac autem narratione contineri quod minus verum sit, apparet ex collatione

---

(1) § 7. p. 34 sqq.

eorum, quae alibi nobis occurrunt (1). Sed hoc tamen et per se stare, et eâdem collatione confirmari videtur, circa tempus notatum in Orientalibus *Europae* locis *Albigenses* fuisse, *Catharorum* placita sequentes.

Praevideo nunc fore, ut roget unus et alter, cur *Albigensium* nomen ex *Gallia* meridionali alio translatum sit, et quidem ad *Catharos* denotandos. Atqui duplicem hujus translationis nobis cogitando fingere possumus causam: alteram positam in eo, quod *Haeretici Albigesii* in regiones extraneas profecti sunt, ut sibi refugium quaererent; alteram in studio, quod homines transversos egit, sectatoribus *Catharorum* notam ignominiae inurendi. Jam quomodo factum sit, ut et vox *Albigensium*, et turpitudo ei adhaerens, *Europae* populis in notitiam venerint, facile dictu est. Nam qui se cum exercitu in *Galliam* meridionalem contulerant, ibique certamina cum *Haereticis* inierant, nobiles, sive ignobiles, domum reversi, *Albigenses* popularibus suis odiosos faciebant, iisque *Catharorum* errores objiciebant. Multos autem, variis ex terris, ad hanc expeditionem concurrisse, ut jam credibile est propter ardorem, quo Pontifices eorumque adjutores homines omnis ordinis ad militiam sacram vocarunt; ita disertis Veterum testimoniis probatur. Legimus apud MATTH. *Paris*, anno MCCXXXIV *Albigensium superstitiosam praesumtionem compressam esse a fidelibus Christianis, qui ad mandatum* GREGORII *Papae, ex diversis regionibus Occidentis cruce signati advenissent, ad defensionem fidei Christianae.* Sed quid hac auctoritate nitar? PETRUS *Monachus*, omnium, qui historiam *Albigensium* scripserunt, antiquissimus nobis tradit, ingentem multitudinem, tam *Alemannorum* et *Flandrorum* quam *Francorum*, ad *Haereticos* illos debellandos congressos esse (2).

---

(1) MANSI *l. c.* p. 1201 sqq.

(2) Apud DUCHESNE. *l. c.* p. 587, 601, 618 etc. Cff. SCHROECKH. *l. c.* p. 625 SCHLOSSER *l. c.* p. 207. FÜHRMANN. *l. c.* Tom. I. p. 61.

§ 8.

Valdenses cum Albigensium nomine comprehendendi, tum vero ab iis distinguendi sunt.

Etiamsi *Albigensium* nomen ad *Haereticos* regionum a *Gallia* meridionali remotarum relatum sit, perversas tamen opiniones de ejus usu viri docti saepe foverunt. Tempore, quo expeditio militaris in *Albigesium* suscipiebatur et peragebatur, nihil nomine illo magis per *Franciam*, *Italiam* aliasque terras famosum fuit. Postquam pax anno MCCXXIX (1) restituta esset, res ipsa loquitur, illud minus in hominum ore et sermone esse incepisse. Et sane mirum dictu est, quam paucis tantum in libris, seculo XIII. scriptis, *Albigensium* nomen reperiatur. Frustra quaeritur non solum in decretis Imperatorum et Pontificum; sed etiam apud scriptores, qui *Catharis* refutandis operam dederunt. Neque enim in LUCAE *Tudensis* libris ulla *Albigensium* mentio fit, quamvis MARIANA nomen illud iis in titulo praefixit (2). Verumtamen vocis illius usum hac aetate nondum obsolevisse, ostendunt loca variorum scriptorum supra excitata (3). Quod et nullo modo fieri potuit, cum, bello conficiendo, *Haeretici* in *Albigesio* non exstinguerentur, sed diu post ibi permanerent, nunc latentes, nunc caput paululum extollentes. Ab initio seculi XIV. errorum contagio denuo tam longe serpere censebatur, ut Inquisitio, aliquamdiu remissius leniusque acta, vim suam reciperet, multosque per annos retineret. Hinc effectum est, ut, quamvis non

(1) S. MEDARDUS. *l. c.* p. 490. hoc refert ad annum MCCXXVIII. sed anno post pax restituta est. Cf. praeter alios SCHLOSSER. *l. c.* p. 229 sqq.

(2) *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 188 sqq.

(3) § 6. et 7.

omnis oppugnatio Ecclesiae hac in regione coercebatur, paulatim tamen exstirparentur homines, *Catharorum* placitis dediti. Nunc igitur *Albigensium* nomen in vita communi usurpari desiit, et mere historicum esse incepit. Quod qui ante seculum XIV. medium evenisse statuerit, hunc profecto haud longe a vero aberraturum esse confido (1).

Jam *Albigensium* nomine ex vita communi ad Historiam translato, veram ejus notionem homines mox perverterunt. Cum enim illud *Haereticis* datum esse viderent, qui *Catharorum* placita sequerentur; persuasum sibi habuerunt, in omnibus librorum antiquorum locis, ubi *Albigensium* negotia referrentur, *Catharos* omnino induci. Quae opinio tot invenit fautores, ut ad nostram usque memoriam, doctissimi viri *Albigensium* et *Catharorum*, seu *Manichaeorum*, vel et *Paulicianorum* voces, tanquam ejusdem plane significationis, permutarent (2). Quamvis autem nonnulli eorum meliora in mente habuisse videntur, quam verbis explicabant, communem tamen propagarunt errorem, quo, in *Albigensibus* fuisse censeretur secta, omni loco et tempore a *Valdensibus* diversa. Atqui certissimum est, hoc *Albigensium* nomine, ab initio expeditionis militaris et deinceps, haud raro comprehensos esse *Valdenses*, qui in *Albigesio* versarentur. Redimus ad PETRI *Monachi* et GUILIELMI *de Podio Laurentii* libros, tum vero ad *librum sententiarum* a LIMBORCHIO editum. Jam vero his in scriptis *Albigensium* nomen una cum *Valdensium* et aliorum *Haereticorum* nominibus non expressa est, quoniam in illis secta non cernebatur, quae ab his distinguenda erat. Sed cum ibi narrentur negotia *Albigensium*, id est *Haereticorum Albigesii; Valdenses* cete-

(1) Cf. SCHROECKH. Tom. XXXIV. p. 487 sqq.

(2) Hic lapsi sunt LIMBORCHIUS. p. 31. aliique viri docti, quos § 3. *Albigenses* pro secta habere vidimus, *Valdensibus* omnino opposita. Vide et RICCHIN. *l. c.* p. XV. BOSSUET. *l. c.* p. 191. GIBBON. *l. c.* p. 170, 171. SCHMID. *l. c.* p. 415, 503, 504.

rique *Haeretici*, regionem illam incolentes, ut pars quaevis ad totum, ad eos referuntur. Quod non omnes fugit viros doctos, qui a vera *Valdensium* et *Albigensium* distinctione, alii gravius, alii lenius aberrabant. *Sane Albigensium nomine*, inquit SPANHEMIUS (1) *venerunt jam ante* WALDUM *aliae quoque sectae, et Manichaeicae Haereseos in Gallia Aquitanica et Narbonensi propagines, quarum dogmata, ut ab Inquisitoribus referuntur, nihil commune habuerint cum Waldensibus. Attamen, inclinato hoc (XII) seculo, sub eodem Albigensium nomine comprehensi quoque, qui, eo ipso tempore, eadem cum Waldensibus sentirent, in Albigesio et Tolosanis partibus, adversus Romanae Ecclesiae dogmata, ritus, tyrannidem: sed infamandi omnes promiscue erroribus Catharorum, Arianis, Marcioniticis, Manichaeicis, qui a Monachis affricti fuere Albigensibus.* Multo clarius VENEMA mentem suam in hanc sententiam explicat, scribendo (2): *Equidem non iverim inficias, Manichaeos in his regionibus fuisse versatos, haud exiguo numero, Albigensium quoque nomine insignitos, de quo vid.* USSERIUS *et* LIMBURGIUS *l. cit.; admitto quoque, inter Waldenses et Albigenses passim hoc, et sequente seculo, ita fuisse distinctum, ut Albigenses fuerint censiti principia habuisse Manichaeismi, si non crassioris, saltem subtilioris, quatenus de Diabolo, tanquam altero aliquo Deo hujus mundi, fuerint locuti, et carnem pro sede peccati habuerint, eoque nomine ab omni cum carne commercio abstinuerint, ut supra exposui, et ex* LIMBURGIO *elucescit: attamen nullus dubitaverim, quin veri Waldenses quoque Albigensium tulerint nomen.* Ita et Abbas BERGIER (3) nomen *Albigensium* generale vocat, *Haereticis Galliae* seculo XII et XIII datum, qui sic appellarentur, quoniam increbrescerent non solum in urbe *Albia*, sed etiam

---

(1) *L. c.* p. 1596.
(2) *L. c.* Tom. VI. p. 145, 146.
(3) *Dictionnaire de Theologie.* Tom. I. p. 91 sqq.

in *Languadoco* inferiori, cujus incolae a scriptoribus hujus temporis dicerentur *Albigenses*. Quibus paulo inferius adjungit, ex disputatione BASNAGII sequi, seculo XII *Albigenses* fuisse turbam *Manichaeorum*, *Arianorum*, *Petrobrusianorum*, *Henricianorum*, *Valdensium*, de doctrina religionis inter se haud valde consentientium, sed conjunctorum, suae utilitatis causa et odio Ecclesiae Romanae. Et ipse SCHROECKHIUS (1) *Haereticos* monens, qui *Manichaei*, *Bulgari*, *Ariani*, *Publicani*, *Patareni*, *Cathari*, *Valdenses* dicerentur, in territorio *Albiensi* satis numerosos fuisse, hactenus rem acu tetigit (2). Multo crebius autem in *libro sententiarum*, *Valdenses* ad *Albigensium* genus relati sunt, quam in operibus PETRI et GUILIELMI, quia sensim sensimque *Valdenses* in *Gallia* meridionali numero aucti sunt (3). Sed ha d spernendam tamen copiam eorum jam ante annum MCCIX illa in terra fuisse, ex indiciis novimus, quae attulerunt SCHLOSSERUS (4) et GIESELERUS (5).

At vero eadem illa loca scriptorum medii aevi, ex quibus *Albigensium* nomine *Valdenses* comprehensos esse intelligimus, hos quoque ab illis distinguere cogunt. Ibi enim, ut supra jam probavimus, ab aliis *Haereticis*, quibuscum nomen *Albigensium* commune habuerunt, expressis verbis, distinguuntur. Quod discrimen celerius in oculos incurreret, si praesto nobis essent alii, quam recentioris jam aetatis, libri, in quibus utrumque nomen eadem in oratione legeretur. Sed haec inopia, spero fore, ut neminem perturbet. Vidimus

(1) Tom. XXIX. p. 571.

(2) His jam scriptis, mihi affertur NEUDECKER, *Allgemeines Lexicon der Religions- und Christlichen Kirchengeschichte.* Ibi autem Tom. I. p. 62. *Albigensium* quoque nomine insignitos esse legimus *Haereticos* variarum sectarum, quae ad exitum seculi XII. se in *Albigesium* contulissent.

(3) Loca horum librorum descripsimus supra p. 13, 14, 16, 21, 22, 25.

(4). *L. c.* p. 194, 195.

(5) *L. c.* p. 558.

supra (1) communem Veterum sententiam, *Valdenses* a *Catharorum* placitis longe alienos fuisse. Hinc eos, uti ab aliis *Haereticis*, ita etiam ab *Albigensibus* distinguendos esse conclusimus (2). Jam vero quomodo utrorumque distinctio facienda sit, perspicue elucebit, si ad diversam notionem nominis *Albigensium* attenderimus animum. In aliis enim locis illud ferunt universi *Albigesii Haeretici*, in aliis *Cathari*, quippe aut plerique horum *Haereticorum*, aut pessimi hominum, quacunque in regione versabantur. Quando et ubinam vox ad *Catharos* translata sit, quaestio est, quam nunc tuto mittere possumus. Sed statuere haud veremur, *Albigenses*, quatenus ad *Catharos* illos pertinerent, a *Valdensibus* omnino fuisse diversos. Quam veram utrorumque distinctionem esse, tribus argumentis probare conabimur. Provocamus igitur *primum* ad regionem, unde exorti sunt; *secundo* ad principium, quo placita sua instruxerunt; *tertio* ad universam, quae in iis cernitur, sentiendi agendique rationem.

§ 9.

Primum ab Albigensibus, quatenus Cathari fuerunt, Valdenses regionis causa, unde originem habent, distinguendi sunt.

Quantum efficacitatis in hominum ingenia et placita coeli habeat plaga, ubi nati et educati sunt, satis superque a viris doctis commonstratum est (3). Se-

---

(1) Cap. I. § 7, 8.
(2) Ibid. § 9.
(3) *LL.* Cl. VAN SENDEN, *Geschiedenis der zedelyke en godsdienstige beschaving van het hedendaagsche Europa.* Tom. I. p. 144 sqq. et VV. DD. ibi ll.

ctas igitur nominis Christiani inter se differre necesse est, prout orientales mundi partes seu occidentales eos pepererint. Neque haec diversitas tantum in colore cernitur, quem singulae ducunt, sed in universa religionis natura et indole. Itaque *ab Albigensibus, quatenus Cathari fuerint, Valdenses distinguendos esse*, constabit, si probatum erit, ex longe alia regione horum quam illorum placita exorta esse.

Valdenses originis occidentalis fuisse, ne inepti quidem illi negabunt disputatores, qui eos *Manichaeismi* tanquam venenum hausisse contendunt, et quos supra (1) refutavimus. Veteres nobis non solum dicunt, eos initium sumsisse a PETRO *Valdo;* sed hunc civem etiam *Lugdunensem* ex se petiisse, quod ad sectatores suos perferret. *Valdenses*, ait ALANUS (2), *dicuntur a suo Haeresiarcha, qui vocabatur Waldus, qui suo spiritu ductus, non a Deo missus, novam sectam invenit, scilicet, ut sine divina inspiratione, sine scientia, sine litteratura praedicare praesumeret.* Quo testimonio auctoris, qui VALDI aequalis fuit (3), quid quaeso evidentius esse potest, cum ceteri omnes, praeter unum duosve nugatores, hac de re consentiant? Sed quid in meridie demonstrare velim lucere solem? *Valdensium* origo certa et explorata est; in originem vero *Albigensium*, quatenus *Cathari* fuerunt, accurate inquirere debemus.

---

(1) Cap. I. § 9.

(2) Lib. II. Cap. I.

(3) Scripsit ALANUS ibid. Cap. IV: *In concilio Lateranensi in eos sententia excommunicationis lata est: unde eis etiam communicandum non est, cum sententia Apostolica ab Ecclesia praecisi sint.* Memorat igitur *Concilium Lateranense* anni MCLXXIX, *decretum* LUCII III. anni MCLXXXIV non item. Unde conjicio, eum jam ante hunc annum scripsisse.

§ 10.

Uti Valdensium secta originis fuit Occidentalis; ita Albigenses, quatenus Cathari erant, placita Orientis habuerunt.

Albigenses, quatenus Cathari essent, placita Orientis habuisse, ex variis jam intelligimus nominibus, quae *Cathari* gesserunt, uti *Paulicianorum*, *Josepinorum*, *Bugarorum* (1). Causa enim in medium afferri nequit, cur his nominibus *Haeretici* in Occidente appellati sint, nisi ex Oriente illuc advenisse censentur. Cujus argumenti vis non infringitur eo, quod nomina quoque habuerunt ex sermone latino petita: *Texerantium*, nempe, et, uti conjecimus, *Publicanorum;* quippe illis ludibrii causa his in regionibus data, nec frequenter usurpata (2). Nec valde perturbabimur, si quis ad *Patarinorum* appellationem, a *Pataria* sumtam (3), provocaverit: siquidem nihil habet absurdi, Italos ignominiae notam, quae jam vulgo trita esset de Clericis, ad *Haereticos*, ex Oriente advenas, transtulisse. Quod autem disputat ALLIX (4), *Paterinos* a *Catharis* distinguendos et eodem loco et numero habendos esse ac *Subalpinos* vel *Valdenses*, uti ab omni vero prorsus abhorret, ita nullo argumento alicujus ponderis

---

(1) Cf. Cap. I. § 7. p. 34 sqq. *Bugaros* autem a *Bugaria* vel *Bulgaria* dictos esse, certo certius est. Cf. GIESELER. *l. c.* p. 221, 222.

(2) Cetera nomina, quae in FREDERICI *Constit.* IV. (cf. supra p. 11.) leguntur, aut incertae originis et notionis, aut diversarum regionum vel sectarum *Catharis* data, aut scribendo vehementer depravata sunt. Cf. GIESELER. *l. c.* p. 596, 597. Pleraque eorum non nisi raro occurrunt, ita ut in uno alteroque loco obscuriore tantum usurpata esse videantur. FREDERICUM autem nomina, quibuscunque *Haeretici* sua in ditione alicubi appellarentur, sine ullo delectu congessisse, nemo mirabitur, qui animadverterit, Imperatorem detestatione omnium omnino hominum, qui in Ecclesiam peccare judicarentur, se liberare voluisse suspicionis *Haereseos* in eum conjectae. Vide PETRI *de Vineis*, *Epist.* Lib. I. cap. 24. Cff. quae diximus p. 28, 29.

(3) Cf. supra p. 37.

(4) *Some Remarks.* etc. p. 163 sqq. 174 sqq.

nititur; dummodo teneatur, ALANUM et BONACURSUM, theologiae *Catharorum* non solum *Theticae*, quae dicitur, sed etiam *Elenchticae* se opposuisse (1). Ipsum sane *Catharorum* nomen, quo *Paterini*, *Bugari*, *Pauliciani* ceterique, ut supra vidimus, comprehensi sunt, originem haud dubie Orientalem prodit. Unum est, quod non sine probabilitate mihi objici possit: de *Haereticis* nempe frequentatam quoque fuisse appellationem *bonorum hominum*, Occidenti debitam. Sed recte jam PAGIUS (2) notavit, vocem *Catharorum* voci aequivalere. Continet enim interpretationem vocis Graecae, has in regiones allatae, et itidem ad singularem pietatem et virtutem significandam usurpatae. Hoc autem aeque ac *Catharorum* nomen *Haeretici* jactabant, ut distinguerentur ab aliis, quos pravis suis opinionibus vitiisque et cupiditatibus servire contendebant. Narrat PETRUS *Monachus: infirmabatur quodam tempore comes maledictus in terra Arragonum, et cum multum invalesceret infirmitas, fecit sibi fieri lecticam, et in lectica illa faciebat se Tholosam deportari: et cum quadam die quaereretur ab eo, cur cum tanta festinatione se faceret deportari, cum tam gravissima infirmitate laboraret, respondit miser; quia non sunt boni homines in terra ista, inter quorum manus possim mori. Haeretici enim a fautoribus suis boni homines vocabantur* (3). Eodem spectat quod de GUILIELMO PETRO DE BERENS legitur apud GUILIELMUM *de Podio Laurentii: Interrogavit Episcopus, quid vellet fieri de ipso, an in Coenobio Galliaci, an Candelii, an in Ecclesia Albiensi eligeret sepeliri; quo respondente, non oportet Episcopum curam agere super hujusmodi, cum ipse deliberasset, quid esset facturus. Episcopo nihilominus insistente, quo trium istorum*

(1) BOSSUET. *l. c.* p. 129 sqq. putidum hunc errorem, jam olim ab aliis commissum, satis superque refutavit.

(2) Ad BARON. p. 498. Quem praeter alios sequitur SCHMID *l. c.* p. 436, minus recte tamen scribens, *Catharorum* sectam in *Gallia*, probitatis suae causa, ita dictam esse.

(3) *L. c.* p. 560, 561.

locorum eligeret sepeliri, ille tandem respondit, se velle ad Bononios sive Bonosios, hoc est Haereticos, deportari (1). Quis enim dubitat, quin voces *Bononii* et *Bonosii*, quarum utra eligenda sit, auctor ipse se ignorare profitetur, in vita communi factae sint per depravationem vel contractionem dicti vulgo triti *bons hommes?* Jam seculo autem XII *Haereticos* se *bonos* vocasse *homines*, ex Actis concilii *Lumbariensis* apparet (2). Minus vero *Petrobrusianos* aut *Henricianos*, quam *Catharos* fuisse, qui hoc in concilio *bonorum hominum* nomen ferrent, ex placitis eorum intelligere mihi videor. Ceterum, invidia factum esse, ut honoris titulus, quo gloriabantur *Haeretici*, in vituperationem verteretur, iisque contumeliae causa objiceretur, equidem negare nolo. Sed animadverti meretur, quod hucusque dictum est, *Galliam* unice spectare *Narbonensem*, ubi vox Graeca recepta non esse traditur (3). Huc quoque spectant pleraque loca scriptorum, in quibus *boni homines* memorantur, uti etiam quod legimus apud EBRARDUM (4): *dicunt, quod bonus homo, aut bona foemina, aut congregatio utriusque Ecclesia est: et ideo domum manu factam negant esse Ecclesiam.* Nimirum hac in regione pro *Catharorum* nomine, quod alibi tritum erat, usurpatum esse puto nomen *bonorum hominum;* et similiter forte in *Anglia* aliisque terris, ubi *Haeretici* se *Catharos* vocare non solerent. Hinc vero in *Germaniam* translatum esse videtur, ut una cum *Catharorum* appellatione valeret usu (5). *Pseudo*-REINERUS certe ait: *si perfecte vis cognoscere errorem Patrinorum, respice summam*

---

(1) *L. c.* p. 668.

(2) MANSI. *l. c.* p. 157, 159, 160. ROGER ab HOVEDEN apud BARONIUM *l. c.* p. 423.

(3) Cff. quae diximus supra p. 34.

(4) *L. c.* Cap. 14. p. 1536.

(5) Recte quidem se habet, quod legimus apud HEIBOOM. *l. c.* Tom. I. p. 419. *bonos homines* in *Germania* fuisse *homines equestris ordinis;* sed hinc non sequitur, hoc nomen, si *Cathari* eo dicerentur, *bonorum* significasse *possessores*, ut contenditur apud HENKE et VATER *l. c.* p. 313 et GUERIKE *l. c.* p. 465.

fratris TONSONIS. *Cum talibus parum potest fieri, nisi per testes; quia imperfecti jurant et mentiuntur. Sed perfecti, qui consolati vocantur in Lombardia, et in Theutonia boni homines vocantur, subirent mortem, antequam quidquam facerent horum* (1). Cui testimonio si fides est, statuere etiam licebit, progressu temporis *Catharorum* perfectos sibi titulum, ab initio universis datum, tanquam proprium fecisse (2).

Ut in variis, quae gerebant, nominibus *Cathari* originis orientalis indicia habuerunt externa; sic et interna nonnulla deprehenduntur. Hujus indolis est quod MONETA de *Haereticis*, duo rerum principia statuentibus tradit (3): *dicunt Prophetas bonos fuisse: aliquando autem omnes damnabant praeter* ISAIAM; *cujus dicunt esse quemdam libellum, in quo habetur, quod spiritus* ISAIAE *raptus a corpore usque ad septimum coelum ductus est, in quo vidit et audivit quaedam arcana, quibus vehementissime innituntur. Absit autem, quod ille liber unquam fuerit* ISAIAE; *sed eorum peccatis exigentibus, sicut in aliis spiritibus erroris intendunt, ita et in illo libello.* Probabiliter auctor de libro loquitur, quo *Haeretici* Orientales, quippe placitis *Gnosticismi* vel *Manichaeismi* faventi, a seculo III usque ad XII valde delectati sunt. Ex Oriente autem illum secum in Occidentem attulisse, ibique in commodum sectatorum, quos sibi acquirebant, interpretati esse videntur. Interpretationem latinam nuper ediderunt GIESELER et

---

(1) *Bibl. Patr. l. c.* p. 266.

(2) Obiter attingenda sunt verba LIVENOT. *l. c.* p. 1779: *Corpus* CHRISTI *et sanguinem non credunt vere esse, sed tantum panem benedictum, qui in figura quadam dicitur Corpus* CHRISTI; *sicut dicitur: Petra autem erat* CHRISTUS, *et simile. Hoc autem quidam dicunt tantum per bonos fieri, alii autem per omnes, qui verba consecrationis sciunt.* Hic *Valdenses* quoque inducuntur *bonos* a ceteris discernentes. Sed quidni homines illi aeque atque alii vocem per se honestam et laudabilem usurpasse censendi sint? Fieri tamen potest, ut auctor *Valdenses* cum *Catharis* confuderit. *Perfectos* autem PETRUS *Monachus* p. 556. etiam *bonos homines* dicit.

(3) *L. c.* p. 218.

ENGELHARDT (1). Similiter *Apocryphum* JOANNIS *Euangelium* (2), quo in Occidente *Cathari* usi sunt, eos ex Imperio Graeco venisse indicat. Probare quidem non possum, haec monumenta vetustatis, *Catharis Albigesii* quoque sacra fuisse; quamvis pars eorum, qui illa in honore habuerunt, hac etiam in regione degit: sed aliud ibi vestigium originis Orientalis reperimus in verbis PETRI *Monachi: dicebant Haeretici, bonum Deum duas habuisse uxores*, COLLANT *et* COLIBANT, *et ex ipsis filios et filias procreasse* (3). Nullo in scripto, *Haereticis* opposito, hoc vel tale quid legere mihi contigit. Accepi vero a Cl. HAMAKERO, vocabula *Collant* et *Colibant* petita esse ex EZECHIËLIS *vaticinationibus*, ubi אָהֳלָה et אָהֳלִיבָה nobis occurrunt, alterum significans *tentorium ejus*, alterum *tentorium meum in ea*. Nimirum utraque regna *Judae* et *Israelis* ibi, propter civium impietatem, proponuntur tanquam duae mulieres, in turpissimam impudicitiam effusae. Altera harum mulierum, *Oholah* dicta, denotat *Samariam*, altera, *Oholibah*, *Hierosolymam* (4). Quomodo autem *Cathari* Deo bono uxores affingere potuerint, quarum nomina meretricum imaginem referrent, me plane fugit. PETRUM *Monachum* falso deceptum puto rumore, ut *Haereticos* de Deo bono dicentes faceret, quod dicerent de malo. Hoc certe ut credamus, omnia suadent loca, ad procreationem hominum pertinentia, quae ad notitiam meam venerunt, uti et quod naperrime legi in *Apocrypho* JOANNIS *Euangelio* supra memorato: *Ego* JOANNES *interrogavi Dominum dicens: quomodo dicunt homines*, ADAM *et* EVAM *a Deo creatos esse et, in paradiso*

---

(1) *Vetus translatio latina Visionis* JESAIAE, *libri V. T. pseudepigraphi, edita atque praefatione et notis illustrata* in *Programm. Pentecost.* MDCCCXXXII GIESELER. cf. *Lehrb. der Kirchenges.* p. 609. ENGELHARDT, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen.* p. 207 sqq. cf. p. 160 sqq. Copiosa autem horum virorum doctorum aliorumque, quos excitarunt, disputatio otium nobis facit plura dicendi.

(2) Cff. GIESELER. *l. c.* p. 610, 611. et THILO, *Codex Apocryphus Novi Testamenti.* Tom. I. p. 884 sqq.

(3) Integrum locum descripsimus § 6. p. 23, 24.

(4) Ita Cl. PALMIUS, *Bijbel.* ad h. l.

positos, servare praecepta patris, et morti traditi sunt? Et dixit mihi Dominus: Audi JOANNES, *dilecte Patris mei! insipientes homines ita dicunt in praevaricatione, Patrem meum corpora lutea fabricare; sed Spiritu Sancto omnes virtutes coelorum fecit et sancti propter praevaricationem inventi sunt habentes corpora lutea mortalia, et ideo morti traditi sunt* (1). Verumtamen ex his non sequitur, nullam plane fidem PETRO bendam esse; ac si ille nomina *Collant* et *Colibant* ne fando audiverit. Sed ea ab *Haereticis* ex Interpretatione *Vulgata Latina* desumta esse nequeunt, cum ibi legatur *Oolla* et *Ooliba.* Licet enim concedas, auctorem ipsum scripsisse *Oollant*, et *Oolibant*, librarios vero hoc corrupisse; incredibile omnino est, terminationem *nt* utrique voci ab iis adjectam esse. Quae cum ita sint, nomina *Collant* et *Colibant*, vel certe *Oollant* et *Oolibant*, ad PETRI aures pervenisse arbitror. Illa autem cur ita enunciata sint, nullam video causam, nisi ea in quadam *Haereticorum* Orientalium quaeratur proprietate, nobis adhuc incognita.

Ad haec indicia originis *Catharorum* Orientalis accedunt diserta Veterum testimonia. Et REINERUS quidem, in recensendis locis, ubi *Cathari* sedem posuerant, Ecclesiam notavit *Sclavoniae*, item *Latinorum in Constantinopoli* et *Graecorum ibidem*, praeterea *Bulgariae* (2). Fuisse autem *Haereticos*, *Manichaeismi* vel *Gnosticismi* sectatores, qui hinc in Occidentem venirent, ex iis videmus, quae de Episcopo eorum MARCO, ordinem suum ex *Bulgaria* habente, et de *Papa* NICETA, ex *Constantinopoli* advena in *Lombardiam*, nobis tradita sunt (3). At hanc *Catharorum* originem nemo magis confirmat quam MATTHAEUS PARISIUS, ubi *Portuensem* Archiepiscopum haec scribentem facit: *Ille homo perditus, qui extollitur super omne, quod colitur aut dicitur Deus, jam*

---

(1) *L. c.* p. 889, 890.

(2) MARTENE *et* DURAND *l. c.* p. 1767. et *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 269.

(3) BOSSUET. *l. c.* p. 100. GIESELER. *l. c.* p. 540.

habet perfidiae suae praeambulum Haeresiarcham, quem Haeretici Albigenses Papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiae, et Dalmatiae, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt Haeretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcasona oriundus, vices illius Antipapae gerens BARTHOLOMAEUS, *Haereticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem et locum concessit in villa, quae Porlos appellatur, et se ipsum transtulit in partes Tholosanas. Iste* BARTHOLOMAEUS, *in literarum suarum undique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum:* BARTHOLOMAEUS servus servorum sanctae fidei, tali salutem. *Ipse etiam, inter alias enormitates, creat Episcopos, et Ecclesias perfide ordinare contendit* (1). Insunt quidem huic loco, quae disputationi ansam praebeant, sed brevitatis causa haec nunc praeterimus: cum nemo non mihi concessurus sit, commercium hîc Orientis et Occidentis commemorari. Quod ipsum testatur locus inferior, ubi ROBERTUS quidam, antea *Haeresiarcha*, sed ordini Praedicatorum post adscriptus, inducitur. Verba dignissima sunt, quae hîc integra describantur: *Currentibus eorumdem dierum* (anni MCCXXXVIII.) *curriculis, quidam Monachus de ordine Praedicatorum, nomine* ROBERTUS, *cognomento Bugre, vir quidem competenter literatus et doctus, et in officio praedicationis efficax et expeditus, in regno Francorum multos comperit Haeretica pravitate maculatos: praecipue tamen in Flandria, ubi de more solebant incolae usurarum vitio plus ceteris nationibus diffamari. Quos omnes in fide diligenter examinatos, et vacillantes vel exorbitantes, adjutus brachio saeculari, et domino rege Francorum impendente subsidium, fecit idem frater* ROBERTUS *incendiis incinerari. Ipsos autem nomine vulgari Bugaros appellavit, sive essent Paterini, sive Joviniani,*

---

(1) *L. c.* p. 317, 318. Quae proxime praecedunt, jam attulimus p. 82.

vel Albigenses, vel aliis Haeresibus maculati. Ipsemet enim ROBERTUS *memoratus, antequam habitum religionis suscepisset, Bugarus exstiterat: quapropter omnes eorum complices noverat, et factus est eorum accusator, malleus et inimicus familiaris* (1). Jam hinc intelligimus, ROBERTUM, priusquam ad Ecclesiam rediisset, in *Gallia* et *Flandria* unum fuisse advenarum ex *Bulgaria*, qui *Catharorum* placita propagaret, multosque habuisse earumdem opinionum participes, quos nunc flagranti odio persequeretur (2).

§ 11.

Causae, cur Catharorum placita ex Oriente in Occidentem et inprimis ad Albigenses pervenerint, explicantur.

Probata, uti speramus, Orientali *Catharorum* origine, haud supervacaneum erit explicare causas, cur placita eorum in Occidentem et inprimis ad *Albigenses* pervenerint. Hoc enim, uti ad superiorem disputationem corroborandam insigniter conferre potest, ita dubitationibus occurret hominum, qui forte novos illos *Haereticos*, a seculo maxime XII, Ecclesiam infestasse mirantur. Videlicet a longo jam tempore oppressae penitusque deletae erant sectae, quae doctrinae vulgo receptae publicisque decretis stabilitae se opposuerant. Sicubi aliae deinceps exstiterant, tenues illae erant et exiles, suisque in latebris se plerumque abscondentes. Pontifices Romani, dominorum instar, regibus populisque religionis praeibant formulam, cujus in verba cuncti fere jurabant. Societati hominum, quae nomen ferebat CHRISTI, tristissimum tanquam soporem injecerat

(1) *L. c.* p. 482. Conferri merentur quae occurrunt p. 429.

(2) Vocem *Bougre*, qua hodieque *Franco-Galli* se mutuo petunt, ex *Bugre* vel *Bulgre*, id est *Bugaro* vel *Bulgaro*, ortam esse, tralaticium est.

ignorantia, dicam, an superstitio (1)? Quid igitur est, quod soporem illum necopinato discusserit et *Haereticos* adduxerit, quibuscum continuo crebra et acerrima certamina agenda essent? Orientem adeamus, ibique causam quietis turbatae quaeramus! Ibi *Gnosticismum* et *Manichaeismum*, neque comminationibus, nec poenis unquam exstinguere contigerat. Non tantum enim haec placita, invitis legibus, in occulto usque serpebant, sed etiam, quovis fere seculo, palam et publice in iisdem vel diversis prodibant regionibus. RICCHINIUS nobis breviter notavit tempora, quibus *Haeretici* placitis illis servientes, usque ad seculum XI, nunc in *Armenia*, nunc in *Bulgaria*, nunc in aliis coeli Orientalis tractibus, aut caput extulerunt, aut vexationem denuo subierunt (2). Copiose vero eorum negotia et fata exposuit GIBBONUS, quem maxime ducem hoc in argumento tractando sequemur (3).

Paulicianos potissimos fuisse, qui medio aevo cum Graecis de rebus sacris certarent, et inde, jam a seculo maxime XII, se in Occidentem propagarent, plerisque viris doctis recentioris temporis visum est (4). Quod ut placet etiam GIBBONO; ita hic nobis tanquam digito monstrat, quomodo *Haeretici* illi, multum diuque per *Asiam minorem* usque ad *Euphratem* serpserint, suamque causam fortiter defenderint; tum vero, *Imperatorum* jussu ex locis, quos incolebant, translati, pro magna certe parte, nunc *Constantinopolin Thraciamque* occupaverint, nunc valles monti *Haemo* adjacentes; postremum *Philippopolin* sedem sibi fecerint, unde per *Macedoniam* et *Epirum* sectam suam amplificarent, et se *Bulgarorum* in animos insinuarent. Etiamsi autem primis temporibus *Mani-*

(1) Cf. HALLAM. *l. c.* p. 461.
(2) *L. c.* p. XIV.
(3) *L. c.* Cap. LIV. p. 152 sqq.
(4) SCHROECKH. *l. c.* Tom. XXIII. p. 348. HALLAM. *l. c.* p. 469. GUERIKE *l. c.* p. 385. ENGELHARDT *l. c.* p. 169. GIESELER. *l. c.* P. I. p. 353 sqq. P. II. p. 658 sqq.

chaeos damnaverint; satis certum est, eos paulatim de placitis illorum benignius judicasse, unumque et alterum omnino probasse (1). Jam sensim sensimque ex Oriente nonnullos horum hominum per varias vias, maxime per mare Mediterraneum, in Occidentem venisse, ibique semina opinionum suarum haud sine felici successu sparsisse, colligimus inde, quod plus una in regione, Ecclesiae Romanae subdita, haud levia eorum vestigia reperiuntur. Num ante annum millesimum jam clanculum irrepserint, ut suspicatur SCHMID (2), disputari potest, cum certis careamus testimoniis. Sed eos paulo post initium seculi XI in Occidente visos esse, sine scrupulo statuere possumus. Anno MXXII, ut vulgo cognitum est, *Aureliani*, eodem fere tempore *Tolosae* et in *Aquitania* (3), anno MXXV *Atrebatii*, MXXX apud *Augustam Taurinorum*, *Haeretici* prodierunt. SCHROECKHIUS eos *Manichaeismi* culpa liberare conatus est, hujus sectae scribens asseclas frustra ante seculum XII in *Italia*, *Gallia* et *Neerlandia* quaeri (4). Et *Atrebatenses* certe levius errasse quam alios, probabile reddunt verba *Concilii* adversus illos congregati: *Hanc Haeresim, quae hodie contra veram et Catholicam Ecclesiam conspirasse inventa est, quae videlicet Baptismum, ad abluendam originalis culpae maculam et actualia delicta, nihil profuturum contendit; et per poenitentiam peccata nequaquam posse relaxari profitetur; et quae sanctam Dei Ecclesiam, et Sacrosanctum altare, atque dominici corporis et sanguinis Sacramentum, nihil esse aliud, nisi quod corporeis oculis intuetur,*

(1) GIBBON. *l. c.* p. 156, 158, 159. GIESELER. *ll. cc.* et P. I. p. 12 sqq. Cff. quae diximus supra p. 34, 35.

(2) *L. c.* p. 390, 391.

(3) SCHROECKH. Tom. XXIII. p. 325 et 327. *Aureliani* bis *Haereticos* detectos esse narrat, anno MXVII et MXXV. Idem legimus apud SCHMID. p. 392 et 414. RICCHIN. alterum ad annum itidem MXVII. alterum ad annum MXXVII. vel, ut aliis placebat, MXXII. retulerat. Sed multum confusionis huic temporum notationi inest. Cf. FLEURY, *Histoire Ecclesiastique*. Tom. XII. p. 415 sqq. GIESELER. *l. c.* P. I. p. 357.

(4) *L. c.* p. 325.

et hoc tamquam vile negotium respicit; et quae legitima connubia devitat: hanc et omnes, qui eam affirmant, damnamus et anathematizamus (1). Quare et lenius quoque de iis judicium fertur a SCHMIDIO (2). Sed recte tamen vir doctus cum de his, tum de ceteris, qui seculo XI apparuerunt, monuisse videtur, eos se vehementius placitis et institutis Ecclesiae Romanae, quin etiam nonnullis religionis Christianae doctrinis opposuisse, et *Catharorum* opiniones de *Sacramentis*, de *invocatione Sanctorum* et *Martyrum*, de *ceremoniis* pressius secutos esse, quam ut *Manichaeismi* vel *Gnosticismi* macula plane vacui et immunes declarentur (3). Non mirandum igitur est, vulgarem hanc esse sententiam, homines illos ad *Manichaeorum* vel *Paulicianorum* sectas pertinuisse (4). Et huc sine dubio, ut jam notarunt *Centuriatores* (5), referendi sunt *Haeretici*, a SCHROECKHIO praetermissi, quos HENRICUM III anno MLII *Goslariae* detexisse memorat HERMANNUS *Contractus* (6). *Imperator*, inquit, *natalem Domini Goslare egit, ibique quosdam Haereticos, inter alia pravi erroris dogmata, Manichaea secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne Haeretica scabies latius serpens plures inficeret, in patibulis suspendi jussit.* Qua narratione auctor iis non solum diserte nomen *Manichaeorum* tribuit; sed etiam placitum, quod hujus sectae proprium fuisse novimus. Ceterum uti per se jam probabilis est sententia SCHMIDII, *Manichaeismum* in Occidente usque ad adventum *Catharorum* occulte tantum propagatum esse (7); sic pondus ei et momentum adjici puta-

---

(1) D'ACHERY. Tom. I. p. 624.
(2) *L. c.* p. 441, 442.
(3) Cff. dicta ejus p. 412 sqq.
(4) Vide praeter Scriptores jam ll. BOSSUET. *l. c.* p. 95 sqq. GIESELER *l. c.* p. 353 sqq.
(5) *Centuria* XI. Cap. 5. p. 246.
(6) *Chron.* apud CANISIUM, *Thesaur. monum. Eccles. et Hist.* Ed. BASNAGIO Tom. III. p. 271, coll. 272.
(7) *L. c.* p. 436, 437.

mus animadvertendo, sectatores ejus, usque ad illa tempora, nec nomine, quo distinguerentur, se ipsos, quantum scimus, dixisse, neque illud laudis vel vituperationis causa ab aliis accepisse.

Catharorum trajectio in Occidentem seculo XII facta est. Sed ut causas ejus et rationes bene perspiciamus, cogitando reverti debemus ad Imperium Graecum. Regno potitam videmus Comnenorum gentem, et quidem ALEXIUM. Ille autem ut vir religionis avitae tenacissimus, ita acerrimus *Haereticorum* oppugnator erat. Quod jam longe ante seculi exitum patefecit in condemnatione JOANNIS cujusdam *Itali*, cui ab ejus filia ANNA, literata sed superstitiosa muliere, gravissimi errores imputantur (1). Haud secus conatus ejus ad *Paulicianos* in Ecclesiae societatem reducendos ostenderunt, quanto studio veteris *Orthodoxiae* servandae et vindicandae flagraret (2). Ex nulla vero re hoc luculentius apparet, quam ex negotio, cum *Bogomilis* habito, et combustione BASILII sectae principis perfecto; quod, quamvis in temporum notatione confusio regnare videtur, ad finem vitae ejus evenisse satis constat (3). Hac autem de secta ut breves esse possimus, diligentia fecit ENGELHARDTI, qui nuperrime de ea, data opera, commentatus est (4). Quamdiu serpserit, antequam ab ALEXIO detegeretur, definiri nequit: sed novo dicta est nomine, a *precandi* formula *Sclavonica* desumto, quo significari ajunt: *miserere, Domine!* Quemadmodum igitur *Bogomili* ratione nominis similes fuerunt *Messalianorum*, vel *Euchitarum*, qui itidem a *precando* dicti sunt (5); sic multa cum iis habuerunt commu-

(1) WILKEN. *Rerum ab* ALEXIO I. JOANNE, MANUELE et ALEXIO II. *Comnenis Romanorum Byzantinorum Imperatoribus gestarum libri quatuor.* p. 203 sqq.

(2) WILKEN. *l. c.* p. 455 sqq.

(3) WILKEN. *l. c.* p. 475, 476.

(4) *Die Bogomilen.* in libro s. l. *Kirchengeschichtliche Abhandl.* p. 151 sqq.

(5) Cf. WALCH, *Ketzergeschichte.* Tom. III. p. 487 sqq.

nia (1). Nimirum si in re valde dubia et obscura conjecturis uti licet, a *Messalianis* potissimum mutuati esse videntur, quae vitam *activam* spectabant; placita vero vitae *contemplativae* potissimum a *Gnosticis* vel *Manichaeis*. Quod sibi voluisse puto ENGELHARDTUM scribentem, doctrinam eorum ex veterum *Messalianorum* opinionibus et *Syra* vel *Saturnina Gnosi* coaluisse. Quidquid hujus rei est; haec secta a *Pauliciana* haud ita longe discrepare potuit, etiamsi in utraque, alii in *Gnosticismum*, alii in *Manichaeismum* inclinatiores essent (2). Tam diu autem in *Oriente* perstitit, ut NECEPHORUS GREGORAS, qui floruit seculo XIV medio, plus semel adversus eos disputaret. Verumtamen dubitandum non est, quin mala, quibus *Comneni* (3) *Haereticos* afficiebant, haud paucos eorum impulerint, ad sedem sibi tutam et quietam extraneis in oris quaerendam.

Et sane seculo XII *Haereticis*, tam *Gnosticismo* vel *Manichaeismo* deditis, quam *Mysticismi* studiosis, plus una via versus *Occidentem* parata fuit. Primum peregrinatoribus, ut monet GIBBONUS (4), *Hierosolyma* per *Philippopolin* domum revertentibus, *Haeretici* facile occasione usi sunt iis comitandi, patriasque eorum regiones intrandi. Deinde *Venetorum* civitas, mercatura valens lateque dominans, hospitibus cujuslibet gentis et religionis, aditum ad loca sibi subdita tutissimum praebebat. Tum vero inter copias armatorum, qui ab Imperatoribus Graecis in provincias suas *Italiae* et *Siciliae* mittebantur, haud pauci quoque erant homines, *Manichaeismo* vel *Gnosticismo* servientes, quibus ibi, in

(1) Haec communio ad recentiora tempora permansit, ut intelligimus ex verbis NICEPHORI GREGOR. *Byzantina Historia*. Vol. II. p. 714. ed. SCHOPENII, *Messalianos* et *Bogomilos* anno MCCCXLIV circa montem *Atho* deprehensos esse: ubi tamen inter se distinguuntur, aeque ac p. 876.

(2) Notatu dignum puto NICEPHORUM GREGOR. *l. c.* p. 919. hanc sectam dixisse *μάλα μεγίστην αἵρεσιν, κἀκ πασῶν συμμιγῆ καὶ ποικίλην.* Plura dabunt ENGELHARDT *l. c.* et GIESELER. *l. c.* P. II. p. 660 sqq.

(3) MANUEL quoque, ad ALEXII *patrui* exemplum, sectae *Bogomilorum* asseclas, NEPHONEM et COSMAM, odio et ira persecutus est. cf. WILKEN. p. 531.

(4) *L. c.* p. 169.

pace et bello, familiarem vitae consuetudinem cum peregrinis et indigenis habere, suasque opiniones in occulto ad *Romam*, *Mediolanum* et ulterius propagare licebat. Nondum attigimus frequentissimum, quod expeditiones militum cruce signatorum pepererunt, Orientis cum Occidente commercium, ut omnino credibile sit, et multos hinc profectos opiniones, quas illic imbibissent, ad populares suos retulisse, et catervas redeuntium *Haereticos*, quorum societatem induissent, secum duxisse. Plerosque ex *Bulgaria* advenisse jam nomen arguit *Bulgarorum* vel *Bugarorum* iis inditum, deinde unum alterumque testimonium, supra memoratum. Sed ex urbe etiam Capitali, *Constantinopoli*, et aliunde proruperunt. Plerumque iter per mare Mediterraneum in *Italiam*, et hinc in alias Occidentis partes factum est: haud raro tamen juxta ripas *Danubii*, per *Hungariam* et *Germaniam meridionalem:* unde in *Germaniam septemtrionalem*, uti et in *Flandriam*, *Galliam*, *Angliam*, *Hispaniam* progrediebantur (1). Ipsum, quod gerebant, *Catharorum* nomen nobis tanquam viam ostendit, quam secuti sunt. Hoc enim nomen cum, ut supra vidimus, in *Italia* et *Germania* gesserint; statuendum videtur, has regiones fuisse Occidentis, in quas, recentes ab Oriente advenae, illud secum afferrent. *Galliam* vero, et *Angliam*, et *Hispaniam* ejus tantum interpretationem latinam vel vernaculam, ut *boni* nuncuparentur *homines*, audiisse puto; quoniam itineris longitudo vel alius quis eventus fecisset, ut nunc aliter dici mallent, quam post primum suum adventum in Occidentem. In *Flandria* autem pro *Piphlerorum* appellatione, contumeliae causa *Haereticis* data, Graecam et genuinam substitutam esse conjicio, cum paucos vagantes exce-

(1) Brevitatis causa provoco ad loca, quae descripsit GIESELER *l. c.* P. II. p. 531, 540, 604, 611. Ait GUERIKE. p. 466, *Haereticos* se ex *Gallia meridionali* et *Italia superiori* in regiones vicinas, *Germaniam*, *Neerlandiam*, *Angliam*, quin etiam *Hispaniam* propagasse. Sed ex *Gallia meridionali* has in terras aut rediisse, aut primum venisse videntur, postquam longum iter, sive per *Italiam*, seu per *Germaniam* perfecerant.

pissent multi, sedem ibi figentes; sed recentiorem vocis *Catharorum* inductionem hanc in regionem, ante finem seculi XII factam, nobis perspicue indicare, hos novos advenas ex *Italia* vel *Germania*, minime vero ex *Hispania*, *Anglia* vel *Gallia* profectos esse.

Jam vero *Catharis*, cum in Occidentem venerant, plus una de causa multi applauserunt. Ab initio seculi XII Ecclesiae praeërant Pontifices, quorum unus et alter, tyrannicis in reges et populos decretis, inceptum GREGORII VII persequebatur (1) Ut illi se civitatibus odiosos faciebant, sic etiam plerique sacerdotes et monachi, rerum divinarum ignari et in omnem avaritiam et lasciviam effusi. Non solum doctrinae religionis, Conciliorum auctoritate munitae, tantum habebant absurdi, ut superarent fidem; sed ritus etiam sacri mentes, quae ad coelestia erigendae erant, ad terrae tanquam pulverem trahebant. Omnis religionis pudor adeo excussus erat animis, ut in *Concilio Avenionensi* (anno MCCIX) sanciendum esset decretum: *ut in Sanctorum vigiliis in Ecclesiis, historicae* (histrionicae) *saltationes, obscoeni motus seu choreae non fiant; nec dicantur amatoria carmina vel cantilenae ibidem: ex quibus praeter id, quod aliquotiens auditorum animi ad immunditiam provocantur, obturus* (obtutus) *et auditus quorumlibet spectantium polluuntur* (2). At eodem tamen tempore variis in locis artes et disciplinae florere inceperant, ut haud pauci viderent, non lucem, sed caliginem esse, in qua cum Ecclesia degerent. Nulla autem regio hoc artium et disciplinarum flore magis gaudebat, quam *Italia superior* et *Gallia Narbonensis*. Ad doctrinae vero elegantiam accedebat libertas civilis, nusquam terrarum tam conspicua et in illu-

(1) Cf. praeter alios VEDER, affinis meus mihi carissimus, in *dissertatione* de ANSELMO *Cantuariensi*. p. 47 sqq.

(2) MANSI. Tom. XXII. p. 791, 792. De odio in *Clerum*, quod homines omnis ordinis summo jure susceperant, vide GIESELER, *l. c.* p. 593, 594, 634. et loca ibi allata. Ridicule partium studio serviunt BOSSUET. *l. c.* p. 95. et alii, qui causam propagationis *Haereticorum* repetunt a judicio Dei, ratum facientis, quod de Satanae liberatione *Apoc.* XX. praedictum erat.

stri posita (1). Et uti haud infelix *Albigesium* in juribus suis vindicandis, et a sede Pontificis Romani remotius erat; ita his donis dotibusque largiter fruebatur. Quis igitur miretur, ejus incolas *Catharorum*, ad quos recipiendos, jam seculo superiore, *Haereticorum* variorum opera praeparati essent, exstitisse fautores? Quis credere nolit, *Catharos* illos, cum Ecclesiam acerrime oppugnarent, et placita praviora aut suavi sermone occultarent, aut veris et probandis doctrinis quodammodo compensarent, ibi benigne acceptos esse, multosque sibi sectatores congregasse? Sed quid ratiocinari pergam? Haud paucos *Catharorum* seculo XII in *Galliam Narbonensem* venisse testantur quaerimoniae, de turbis eorum increbrescentibus frequenter editae, uti et diserta veterum scriptorum verba (2). Et si plerique eorum, quorum causa ab anno MCCIX usque ad MCCXXIX in *Albigesio* armis decertatum est, ut satis certo constat, *Cathari* fuerunt; res ipsa loquitur, ingentem ibi horum *Haereticorum* fuisse numerum. Similiter per varias terras insigniter accreverunt, ut locus docet GUILIELMI *Neubrigensis*, hîc iterum describendus: *In illis diebus* (anno MCLX) *erronei quidam venerunt in Angliam ex eorum, ut creditur, genere, quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum ex Gasconia habentes originem, regionibus pluribus virus suae pertinaciae infuderunt, quippe in latissimis Galliae, Italiae Germaniaeque Provinciis, tam multi ea peste infecti esse dicuntur, ut secundum Prophetam multiplicati esse super numerum arenae vide-*

(1) Haud temere scripsit GUILIELMUS *de Podio Laurentii* p. 668. *ut intelligatur, quam periculose Praelatorum contemneretur authoritas eo tempore, dum cuilibet licitum esset impune quamlibet sectam eligere, referam quod audivi narrantem* etc. Quantum autem doctrinarum lux, et libertatis usus contribuerint ad *Catharos*, et alibi, et in *Gallia* maxime meridionali fovendos, docebunt SCHLOSSER. *l. c.* Tom. III. P. 1. p. 350 sqq. GIESELER *l. c.* p. 537 sqq. Cff. FLEURY *l. c.* Tom. XVI. p. 266 sqq. SISMONDI, *Histoire des Republiques Italiennes du moyen age.* Tom. II. p. 355, 356. et Cl. ROIJAARDS, in *Archief voor de kerkelijke geschiedenis.* etc. Tom. II. p. 193 sqq.

(2) Cff. loca apud GIESELER. p. 548, 549, 599 sqq.

antur (1). Addatur quod legimus apud *Pseudo*-REINERUM: *O lector! dicas secure, quod in toto mundo non sunt Cathari utriusque sexus quatuor millia, sed Credentes innumeri. Et dicta computatio pluries facta est inter eos* (2). Quo testimonio immensam hominum, qui placitis illis se dederint, multitudinem denotari, ex infra disputandis apparebit (3).

§ 12.

Alterum discrimen Albigensium, quatenus Cathari erant, et Valdensium in principio cernitur, quo placita sua instruxerunt, ut illi ea peterent ex Philosophia, hi vero ex Literis Sacris.

Quemadmodum *Valdenses* ab *Albigensibus*, quatenus *Cathari* erant, originis suae causa distinguendi sunt; sic longe alio principio placita sua instruxerunt. Sectae auctor a *Centuriatoribus* (4) *civis Lugduni, eruditione, sapientia et opibus minime obscurus*, a *Pseudo*-REINERO (5) *aliquantulum literatus* dicitur. Sed quam tenuis ei fuerit doctrinarum supellex, apparet ex via, quam ingressus est ad cognitionem Literarum Sacrarum sibi comparandam. *Audiens*, inquit, STEPHANUS *de Borbone* (6), *Euangelia, cum non esset multum literatus, curiosus intelligere, quid dicerent, fecit pactum cum dictis sacerdotibus* (BERNARDO

(1) *Hist. Angl.* L. II. Cap. 13.
(2) *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 269.
(3) Cf. BOSSUET. *l. c.* p. 195 sqq.
(4) *Centur.* XII. Cap. 8. p. 1204.
(5) *L. c.* Cap. 5. p. 264.
(6) Apud D'ARGENTRÉ *l. c.* p. 87. cf. et GIESELER *l. c.* p. 585.

YDROS et STEPHANO DE ANSA), *altero sic, ut transferret ei in vulgari; altero, ut scriberet, quae ille dictaret; quod fecerunt: similiter multos libros Bibliae, et auctoritates Sanctorum multas, per titulos congregatas, quas sententias appellabant. Quae cum dictus civis saepe legeret, et corde tenus firmaret, proposuit servare perfectionem Euangelicam, ut Apostoli servaverant.* Quod testimonium talia continet veri indicia, ut non videam, quomodo scribere potuerit MATTHIAS FLACIUS: *Fuit homo doctus, ut ex vetustis membranis cognosco: et non curavit sibi ab aliis verti, ut quidam veritatis inimici mentiuntur* (1). Quamvis autem PETRUS *Valdus* eruditionis copia et ubertate non excellebat, vir tamen fuisse videtur mentis acutae. Idemque acumen in haud paucis sectatorum ejus se conspicuum fecit, ut hîc assentiri non dubitem MATTHIAE FLACIO, ubi, JACOBUM REBIRIANUM *sequens, declarat, Valdenses, cum prae ceteris acutius de religione disputarent, saepe admissos esse a sacerdotibus disputandi causa; non quod eorum sententiae sibi probarentur, sed quod Valdensibus ingenio pares non essent* (2). Ceterum *Valdenses* aeque ac sectae princeps, si quae scriptoribus antiquis fides est, homines vulgo fuerunt literarum ac disciplinarum rudes et expertes (3). Quare PILICHDORFFIUS *Haereticum* hujus notae sic alloquitur: *Tu Waldensis Haeretice et asine! et literas nescis, et studia damnas, Latinum idioma, quod nescis, reprobas, Judaicum ignoras, Graecum non nosti; et si in vulgari Barbaro de Scripturis noscis; vel intelligis, vel non intelligis: si non intelligis, caecus caecos ducis, et secum in foveas vadis; si intelligis et tuis credentibus non exponis, traditor es pauperum animarum, quas quidem sapere non doces* (4). Jam hinc sequitur, in *Valdenses* cadere non

---

(1) *In Catalogo testium veritatis* apud USSERIUM *l. c.* p. 265.
(2) *L. c.* p. 266.
(3) GUALTERUS MAPEUS apud USSERIUM *l. c.* p. 268. STEPHANUS *de Borbone l. c.* ALANUS Lib. II. Cap. I. p. 259.
(4) *Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 298.

potuisse studium aut veri cogitando inveniendi, aut ad fastigium ejus contemplatione hujus universitatis se evehendi. Immo nihil aliud voluerunt, quam, spreta omni sapientia humana, religiose adhaerescere doctrinis, quas sibi persuasum erat divinitus olim patefactas esse. Principium igitur, quo placita sua instruebant, cernebatur in fide Literis Sacris habita. Literarum illarum lectione et veneratione factum erat, ut PETRUS *Lugdunensis* sibi sectam, qua *Christianismus* Apostolorum restitueretur, congregare proponeret. Literarum illarum lectione et veneratione incitabantur quotquot ejus vestigia premenda esse ducebant, foeminae aeque ac mares, ut meliorem doctrinam, quam vulgo ex sacerdotum et monachorum ore audiretur, ad vulgi notitiam perferrent. Quod ut aegre tulit BERNARDUS *de fonte calido* (1); ita haud sine iracundia scripsit INNOCENTIUS III: *Significavit nobis ven. frater noster Metensis Episcopus per literas suas, quod tam in dioecesi quam urbe Metensi laïcorum et mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo desiderio scripturarum, Evangelia, Epistolas* PAULI, *Psalterium, Moralia,* JOB, *et plures alios libros sibi fecit in Gallico sermone transferri, translationi hujusmodi adeo libenter, utinam autem et prudenter, intendens, ut secretis conventionibus talia inter se laici et mulieres eructare praesumant, et sibi invicem praedicare* (2). Huc spectat quaerimonia *Pseudo-*REINERI, uti eam nobis tradidit RICCHINIUS (3): *Tertia causa est Veteris ac Novi Testamenti in vulgarem linguam ab ipsis facta translatio, quae quidem edita est in urbe Metensi, unde* INNOCENTIUS III *mandavit Episcopo et Capitulo Metensi, ut diligenter inquirerent, quis fuerit auctor ejusdem translationis, quae intentio transferentis, quae fides utentium, quae causa docendi.* In *Bibl.* vero

(1) *L. c.* Cap. 4. p. 1589.
(2) Locum integrum descripsit GIESELER. *l. c.* p. 559, 560.
(3) *L. c.* p. XXXIX.

Patr. (1) tantum legimus: *Tertia causa haeresis est, quia Novum et Vetus Testamentum vulgariter transtulerunt; et sic docent et discunt.* Quibus additur: *Audivi et vidi quendam rusticum idiotam, qui* JOB *recitavit de verbo ad verbum, et plures, qui totum Novum Testamentum perfecte sciverunt.* In usu autem Literarum Sacrarum hoc sibi proprium habuerunt illi homines, ut a sensu orationis literali, id est Grammatico, prorsus recedere nollent. Provocamus et hîc ad verba *Pseudo-*REINERI: *Mysticum sensum in Divinis Scripturis refutant, praecipue in dictis et actis, ab Ecclesia traditis* (2). Quibuscum pro parte conveniunt, quae alibi leguntur: *Dicta Sanctorum nihil curant, nisi quantum pro secta eorum confortanda retinent: sed tantum Novum Testamentum ad literam observant* (3). Sed in re perspicua multum disputare nihil attinet. Rectissime *Centuriatores* hanc sententiam *Valdensibus* tribuerunt: *In articulis fidei summam esse Sacrae Scripturae authoritatem, eamque ob causam esse normam judicandi; ut quidquid cum verbo Dei non congruat, merito sit repudiandum et fugiendum: —— Sacrarum Scripturarum lectionem et cognitionem omnibus hominibus, tum laïcis, tum sacratis viris, liberam et necessariam esse: imo potius Prophetarum et Apostolorum monumenta legenda esse quam hominum commenta* (4).

Transgredior ad *Catharos*, atque ita etiam ad *Albigenses*, quatenus hac in classe recensendi sunt. Quid de vulgo eorum statuendum sit, dicere non ausim, quamquam prae vulgo, quod in cetera hominum societate esse solet, eruditione quadam excelluisse videtur. Sed multitudinis doctores et duces sine dubio literis et disciplinis pro temporum ratione fuerunt imbuti et innutriti.

---

(1) *L. c.* p. 264. Plura vide in *libro sententiarum* p. 264, 377 etc.
(2) *L. c.* p. 265.
(3) *Index errorum, quibus Waldenses infecti sunt. Bibl. Patr.* Tom. XXV. p. 308.
(4) *Cent.* XII. Cap. 8. p. 1206.

ROBERTUM *Bugarum* supra jam dictum vidimus virum *competenter literatum et doctum* (1). De JOANNE *Italo*, *Catharorum* apud Graecos patrono, WILKENIUS nobis narrat, ei, postquam MICHAEL PSELLUS, cucullo induto, *Byzantium* reliquisset, principem ibi Philosophiae cathedram oblatam esse. *Hoc autem in munere*, pergit vir doctus, *Constitutus* (*Veterum*) *praesertim Philosophorum*, PLATONIS, PROCLI, PORPHYRII JAMBLICHI*que libros*, ARISTOTELIS *quoque Organon*, *cui maximam operam se impendisse jactabat*, *publice explicare instituit* (2). Et sic plurimum *Cathari*, quoties cum sacerdotibus monachisque de rebus divinis discrepantes inducuntur, homines se praestant mentis non solum acutae, sed etiam haud vulgariter excultae. Quod S. BERNHARDUS de iis dixit: *Vile hoc genus et rusticanum*, *ac sine literis et prorsus imbelle*, jure meritoque miratur ALLIX: sed clarissime patet, monachum, cum ita diceret, nuper demum in *Haereticos* illos incidisse, eorumque placita minus cognita habuisse (3). Quam ornati literarum et doctrinarum cognitione, et habiti sint a suis adversariis, et revera fuerint, intelligimus ex testimonio LUCAE *Tudensis*: *Sub Philosophorum seu naturalium doctorum specie Sacras Scripturas laborant pervertere. Malunt vocari naturales seu Philosophi*, *cum antiqui Philosophi ab Haeretica labe sordescant. Attribuunt enim naturae ea*, *quae quotidie mira dispositione Dominus operatur.* —— *Ex erroribus multis profanas condunt scripturas*, *easdem Philosophorum quibusdam floribus decorantes*, *ut est ille liber*, *qui Perpendiculum scientiarum dicitur*, *quatenus propter ornatum Philosophicum*, *et etiam propter quasdam sententias Sanctarum interpositas Scripturarum*, *in cordibus legentium haeresis reperiat locum. Hi vero*, *qui hujusmodi libros deferunt*, *cum depre-*

(1) Apud MATTH. PARIS., cujus verba descripta sunt supra § 10. p. 96.
(2) WILKEN. *l. c.* p. 205, 206.
(3) BERNHARDUS *Serm.* LXV. s. c. ALLIX. *l. c.* p. 159.

hensi fuerint, ad excusationem suae pravitatis dicunt: Eligat bona lector, et abjiciat prava! Non enim repellenda sunt bona pro malis, nec vera pro falsis: sapiens namque propter spinas flores non abjicit. De spina legitur rosa, et de Philosophorum libris pulchra sapientia (1). Unde eos, ad commendanda sua placita, libros scripsisse intelligimus; quos hominum invidia temporumque injuria nobis ereptos esse, summopere dolendum est. Jam cum LUCA *Tudensi* omnino convenit ALANUS, in *Prologo* scribens: *Quamvis fides Catholica non solum divinarum rationum, verum etiam humanarum fundamentis innixa praefulgeat, et authoritatibus theologicis, velut irrefragibilibus maximis, invicta consistat; tamen, propter novos Haereticos novis, imo veteribus et novissimis haeresibus debacchantes, Philosophicis speculationibus deditos, sed sensuum speculis destinatos, cogor disertis rationibus de fide rationabili reddere rationem* (2). Non opus igitur est ostendere, STEPHANUM *de Borbone* satis gravem habuisse causam, cur ratiocinationes *Haereticorum* sophistarum tenebris involutas esse declararet (3). Et sane talia *Catharorum* fuerunt placita, ut homines eruditiores requirerentur ad ea cum explicanda, tum rationibus et argumentis probanda et confirmanda.

Nimirum *Albigenses*, quatenus *Cathari* erant, hoc nomine a *Valdensibus* differebant, quod placita sua principio instruxerant, ex Philosophia petito animisque, omni doctrinarum apparatu carentibus, arduo et inaccesso. Quod vero discrimen inter utrosque ut, cujusmodi fuerit, bene perspiciamus, antiquiorum temporum memoria renovanda est. Ab Apostolorum fere aetate duo longe diversa studia homines exercuerunt Christianos. *Ecclesiae Patres* Philosophiam, quam

---

(1) Luc. *Tud. l. c.* p. 240, 241.
(2) *L. c.* p. 201.
(3) Loca vide apud RICCHIN. p. XXV. Notandum est, STEPHANUM hic imprimis spectare *homines*, qui dicuntur, *intelligentiae*, id est *Pantheistas Mysticos*, AMALRICUM maxime DE BENA *sequentes*. Sed illi cum parte *Catharorum* multum commune habuerunt. Cf. GIESELER. *l. c.* p. 627.

ex scholis adduxerant, ad ea, quae in Literis Sacris sibi reperire videbantur, amplificanda, illustranda et confirmanda adhibebant; sed doctrinam religionis ab his unis Literis pendentem faciebant. *Haeretici* contra, *Gnostici* maxime et *Manichaei*, doctrinam illam repetebant ex Philosophia tunc vigente Orientali, Literarum Sacrarum verba, pro ingenio suo, ad eam accommodantes. Hoc vero ubi fieri non poterat, alterutrum eligebant, ut libros, quos cum opinionibus suis in concordiam redigere nesciebant, nullius auctoritatis et fidei esse contenderent et spernerent, vel sensum iis Allegoricum subjicerent (1). Ecclesia Catholica, Judaeorum vestigia premens (2), iis veluti praeibat, cum doctores ejus haud raro sensum illum Allegoricum Grammatico adjungerent, vel pro ea substituerent. Verumtamen hac in re pro scholarum diversitate diversa erat agendi ratio. *Alexandrini* toti in figurato interpretandi genere habitare, *Antiocheni* et *Occidentales* literae magis adhaerere solebant (3). Quid? quod argumenta, quae cum a Catholicis, tum ab *Haereticis* tractarentur, pro diversa coeli plaga, sub qua degerent homines, valde inter se discrepasse novimus. *Orientales* vel *Graeci* de rebus disputabant intelligibilibus, ad Dei maxime naturam et mundi originem pertinentibus: *Occidentales* vero de iis, quae generis humani conditionem et hanc vitam terrestrem spectabant (4). Jam hoc idem discrimen in placitis *Albigensium*, quatenus *Cathari* erant, et *Valdensium* cernitur. Hos quidem in

(1) MOSHEIM, *de rebus Christianorum ante* CONSTANTINUM *magnum*. p. 298 sqq. NEANDER. *Antignosticus*. p. 311 sqq. BAUR, *das Manichäische Religions-System, nach den Quellen neu untersucht und entwikelt*. p. 378 sqq.

(2) *Judaeorum* Interpretatio Allegorica satis cognita est: sed obiter notandum videtur, recentioribus certe temporibus *Karaeos* se a *Rabbanitis* hoc nomine distinxisse, ut interpretationem illam rejicerent. Cf. ROSENMULLER, *Historia interpretationis librorum Sacrorum in Ecclesia Christiana*. Tom. V. p. 215 sqq.

(3) VON REICHLIN-MELDEGG, *Geschichte des Christenthums*. Tom. I. Part. II. p. 775 sqq.

(4) NEANDER, *Allgemeine Geschichte der Christlichen Religion und Kirche*. Tom. II. Part. II. p. 740 sqq. 896 sqq. Part. III. p. 1185 sqq. et Cl. KIST, *Oratio de Ecclesia Graeca, Divinae Providentiae teste*, in *Annal. Acad. Lugd. Bat.* anni MDCCCXXVII-MDCCCXXVIII.

doctrina, quam Literis Sacris tribuerent, acquievisse vidimus. Illi vero ulterius sapere volentes, Philosophiam suam judicandi normam regulamque fecerunt, Literisque Sacris, ubi eas cum placitis suis conciliare non valebant, vel fidem omnino denegarunt, vel sensum figuratum affinxerunt.

Hic vero me in locum, qui ipse ad integram disputationem scribendam satis amplam praebet materiem, conjectum esse sentio. Sed negotium in concordiam redigendi, quae Veteres nobis de canone Librorum Sacrorum a *Catharis* recepto, partim vere, partim false vel confuse tradiderunt, tenuitatis meae mihi conscius, felicioribus relinquo ingeniis. Hoc unum mihi videre videor, omnes, qui revera ad hasce sectas referri debeant, alterutrum elegisse, vel ut libros sibi displicentes rejicerent, vel ut eos figurate interpretarentur. Cavendum sane est, ne quis fraudem sibi fieri patiatur locis Veterum, in quibus *Cathari*, ut opiniones suas tueantur, ad Veteris Novique Testamenti verba provocant. Ex his enim argumenta tantum petunt ad refellendos suos adversarios. Ipsi vero quid senserint, in *Concilio Lumbariensi* perspicue explicarunt. *Interrogavit*, inquit auctor Actorum, *Lodovensis Episcopus eos, qui faciunt se nuncupari boni homines,* — — *si recipiebant legem* MOYSI *ac Prophetas, seu Psalmos, et Vetus Testamentum. Responderunt coram omni multitudine, quia non recipiebant legem* MOYSI, *neque Prophetas, neque Psalmos, nec Vetus Testamentum, nisi solummodo Evangelia, Epistolas Pauli, et septem Canonicas Epistolas, Actusque Apostolorum, et Apocalypsim* (1). Sed probe animadvertendum est, hanc *Haereticorum* responsionem omnes non spectare *Catharos*, quotquot in *Albigesio* vel alibi versarentur. Nam diserte MONETA tradit: *Isti* (qui unum Deum supremum esse dicunt) *etiam conveniunt cum praedictis* (qui duo rerum principia statuunt),

(1) MANSI *l. c.* p. 159.

credentes Vetus Testamentum esse a Diabolo. In Prophetis autem differunt dicentes, eos fuisse locutos quandoque de spiritu proprio, quandoque de spiritu maligno, quandoque de virtute Sancti Spiritus. Unde non recipiunt eos, nisi ubi volunt. Primi vero eos totaliter recipiunt, et eos bonos fuisse dicunt. Illi vero eos malos fuisse credunt, licet aliqua bona de Christo dixerint (1). Hîc igitur *Manichaeismi* sectatores Prophetarum Hebraeorum libris fidem habuisse, homines *Gnosticismi* studiosiores, prouti placita illorum ferebant, eos partim probasse, partim vituperasse dicuntur. Hoc autem confirmatur verbis BONACURSI: *De dictis Sanctorum Prophetarum dicunt, quaedam esse revelata a spiritu Dei, quaedam a spiritu maligno* (2); illud haud omnino dissimile est testimonio REINERI de Secta BALZINANSAE, et JOANNIS *de Lugio* (3): ubi tamen legimus, alteram plures Veteris Testamenti libros, alteram totum illum Codicem approbasse. Hactenus vero omnes fere inter se consenserunt, ut legem Mosaicam, quippe a Deo maligno vel Diabolo profectam, spernerent (4). Et similiter, ut Christianos se profitebantur, scripta Novi Testamenti, excepta a nonnullis utraque PETRI Epistola, in honore et veneratione habuerunt (5). Sed cave putes, *Catharos* Libris Sacris, quos probabant, hanc auctoritatem tribuisse divinam, ut verbis eorum religiose crederent. Immo sensum figuratum orationi subjecerunt, quam primum illa in opiniones eorum incurreret. *Haeretici*, ait LUCAS *Tudensis* (6), *quidam dicunt: Verum est quod continetur in Novo et Veteri Testamento, si*

---

(1) *L. c.* p. 5, 6.

(2) *Vita Haereticorum* apud D'ACHERY *l. c.* p. 208.

(3) MARTENE et DURAND *l. c.* p. 1769, 1772.

(4) Cf. ALANUS *l. c.* p. 226. Ita et *Pauliciani* in *Oriente*, ut docet GIESELER *l. c.* p. 154 sqq. Quod et *Catharos Albigenses* cum ceteris plerisque commune habuisse apparet ex locis Cap. I. § 6. p. 23. descriptis. Cf. et SCHLOSSER. Tom. III. P. II. Sect. I. p. 194, 195.

(5) ECKBERT *l. c.* p. 630.

(6) *L. c.* p. 241.

intelligatur secundum mysticum intellectum: ad literam autem nulla sunt omnia, quae continentur in eis. Quod et alibi iis imputatur. Memoratu autem dignum est, quod de interpretatione legimus locorum, ubi miracula CHRISTI narrantur: nimirum ea ab aliis figurate, ab aliis proprie accepta esse; illud autem fecisse, qui *Manichaeos*, hoc vero, qui *Gnosticos* proxime sequerentur (1).

§ 13.

Universa denique sentiendi et agendi ratione Valdenses se ab Albigensibus, quatenus Cathari erant, distinxerunt, ita uti illi cum doctrina de uno Deo, omnium rerum auctore, puriorem, hi cum Manichaeismo vel Gnosticismo, impuriorem Mysticismum profiterentur.

Sicuti *Albigenses*, quatenus *Cathari* erant, principio longe alio quam *Valdenses* placita sua instruxerunt; ita homines illos multis de rebus inter se dissensisse vidimus. Haec autem dissensio inprimis diligenter observanda est, si universam, quam secuti sunt, sentiendi et agendi rationem bene exponere volumus. Nimirum in duas quidem partes discernuntur, sed harum neutra sibi ita constitit, ut omnes, quotquot in illa recensebantur, de rebus sacris eadem statuerent. Immo secta utraque rursus in sectas divisa erat, et harum sectarum asseclae quid proprium, quid commune habuerint, OEDIPUS sit qui explicare queat. Enimvero res ipsa loquitur, non aliter fieri potuisse, quin magna opinionum diversitas regnaret in *Haereticorum* familia, quae religionem pendentem

(1) MONETA. *l. c.* p. 5, 6. *Disputatio inter Cath. et Pat.* p. 1750.

faceret a Philosophia vaga et lubrica, quam quisque ad mentis suae arbitrium interpretaretur. ECKBERTUS *Catharos*, adversus quos disputat, multa monet habere permixta, et a doctrina magistri eorum, MANETE, aliena, eosque divisos inter se esse, quia nonnulla ab aliis asseverentur, ab aliis negentur (1). REINERI diligentia varias quidem horum *Haereticorum* dissensiones commemoravit, at satis magnam tamen obscuritatem reliquit. ALANUS, ERMENGARDUS nos itidem in luto haerere sinunt, nunc generatim *Haereticos* refellendo, nunc de aliis aliisque loquendo. Tantum quidem difficultatis non impedit judicium, de *Valdensibus* ferendum; sed et hîc tamen sine cautione agendum non est. Nam uti divisi fuerunt in *Pauperes Lugduni* et *Pauperes Lombardi*, ita omni tempore plane eadem non senserunt (2). Neque asseverare ausim, neminem eorum ad placita *Catharorum* vel et *hominum intelligentiae* (3) descivisse. Quae cum ita sint, necesse nunc est, missis singularum sectarum partiumve sententiis, de eo tantum dicere, quod et *Valdenses* et *Albigenses*, quatenus *Cathari* erant, statuerunt.

Valdenses veri nominis, qui Literas Sacras Veteris et Novi Testamenti religiose sequerentur, unum Deum coluisse supremum, omnium rerum auctorem, uti supra jam monuimus, ita neminem fore arbitror, qui negaverit. *Cathari*

(1) *L. c.* p. 602.

(2) ALLIX. p. 200 sqq. contra BOSSUETIUM disputat ad probandum, *Valdenses* se jam diu ante *Valdum* Ecclesiae Romanae doctrinis opposuisse; sed levia sunt ejus argumenta et jam refutata iis, quae diximus supra p. 58 sqq. Ne cui autem loca PETRI *Monachi*, supra descripta molestiam creent, monendum videtur, verba: *oportet, ut renuncies toti fidei, quam tenet Romana Ecclesia*, non doctrinas hujus Ecclesiae, sed auctoritatem spectare, quam ea sibi arrogaverit; vel scriptorem illum, cum hoc de *Haereticis* tantum ante notatis dicere vellet, mentem satis obscure explicasse. Ad BOSSUETUM infra revertemur.

(3) Quae supra p. 51. vidimus STEPHANUM *de Borbone Valdensibus* objecisse, similia sunt placitis *hominum intelligentiae*. Sed *Valdenses* veri nominis principio, quo placita eorum instructa erant, haud dubie impediti sunt, quo minus cum illis societatem inirent. Cf. GIESELER *l. c.* p. 623 et 626 sqq.

vero, ipsique *Albigenses* ad hanc familiam pertinentes, an non temere a scriptoribus antiquis *Manichaeismi* vel *Gnosticismi* accusati sint, in dubium fortasse nonnulli vocabunt. Ad levem ALLIXII disputationem, qua *Valdenses* et *Paterini* iidem fuisse contenduntur, denuo recurrere nolumus. Nec negotium mihi facessit MILNERI dictum, odioso *Manichaeorum* nomine novos vulgo insignitos esse *Haereticos*, seculique XII memoriam nihil afferre, quod surculos sectae illius antiquae satis evidenter prodat (1). Sed in censum hîc omnino veniunt nonnulla loca Veterum, quibus *Catharis* placita tribui videntur, a *Manichaeorum* vel *Gnosticorum* placitis prorsus aliena. Verumenimvero haec loca tantum difficultatem parient ei, qui meminisse neglexerit, *Haereticos* illos iisdem saepe, quas Ecclesia Romana probaret, dicendi formis usos esse, sed alienum sensum verbis subjecisse (2). Exemplo nobis sit quod legimus apud ECKBERTUM (3): *De animabus mortuorum talem sententiam habent, quod in ipsa hora exitus sui vel transeunt ad aeternam beatitudinem, vel ad aeternam damnationem.* Vehementer hoc quidem urget ALLIX (4); sed quomodo explicandum sit, ipse auctor infra docet, ubi *Haeriticos* inducit *emanationem animorum* et *metempsychosin* profitentes (5). Mirandum igitur non est, haud paucos fuisse *catharos*, qui in Ecclesia manerent, et vel ad *communionem Missae* accederent. *Hic*, ait ECKBERT (6), *si propter aliquam simulationem accedit ad sanctam communionem, edit indigne corpus Domini, et non discernit illud ab aliis cibis per fidem Catholicam, et manducat ac bibit sibi judicium, id est, da-*

---

(1) MILNER, *History of the Church*. Vol. III. p. 380. HALLAM. *l. c.* p. 464.
(2) Cf. RICCHIN. *l. c.* p. XXV.
(3) *L. c.* p. 601.
(4) p. 165 sqq.
(5) p. 602, 632.
(6) *L. c.* p. 628.

mnationem. Hoc tu, infelix Cathare! facis, qui in occulto negas, verum corpus Christi esse in altari; et omnia, quae a sacerdotibus nostris in Ecclesia aguntur, in textrina tua irrides, et nihilominus, adveniente paschali die, cum populo ad Ecclesiam properas, barbam reverenter complanas, et multo humilius ceteris genua tua ad altare incurvas, atque hiantius buccam aperis ad accipiendam sanctam communionem, videlicet tuam aeternam damnationem, quatenus videaris hominibus bene Catholicus ac religiosus, et ut hi, quos per pecuniam conducitis ad tuendum vos, dicere possint in defensione vestra etc. Utique si historiae aliqua fides est, negari nequit, *Catharos* placita veterum *Manichaeorum* vel *Gnosticorum* fovisse, ut vel duos ab aeterno dicerent fuisse Deos, alterum principem lucis, alterum principem tenebrarum; vel unum quidem Deum profiterentur aeternum, sed ab auctore hujus mundi adspectabilis distinguendum. Quomodocunque enim ipsi ab antiquis sectarum suarum ducibus discesserint, aut quam crebro monachi novarum opinionum fautores cum sectis illis confuderint (1); tam firmiter stat haec sententia, ut nulla ratiocinatione labefactari possit. Non solum omnes scriptores medii aevi, et maximam partem *Haereticorum* aequales, uno ore testantur, eos his erroribus serviisse; sed satis multi Veterum, ubi opiniones eorum enucleate exponunt, hac in re ita consentiunt, ut omnis dubitatio tollatur. Quod uti de ceteris valet *Catharis*, sic etiam de *Albigensibus*, quatenus *Cathari* essent, valere testimonia probant PETRI *Monachi* et aliorum egregie conspirantia, quae supra (2) in medium attulimus. Quapropter hodie viri docti, quotquot judices habendi sunt boni et a partium studio vacui, hos

(1) Locis nempe AUGUSTINI aliorumque Patrum Ecclesiae, qui *Haereticis* antiquis se opposuerant, usi saepe sunt ad sui temporis *Haereticos* describendos. Exemplo sit disputatio ECKBERTI p. 603 coll. 622.

(2) Cap. I. § 5, 6.

Albigenses Manichaeismum, vel *Gnosticismum* vel *Manichaeismo-Gnosticismum* professos esse statuunt (1).

Absolutis breviter, quae *Contemplativi* argumenti sunt, restat nobis, ut nonnihil dicamus de rebus argumenti *activi*. *Cathari*, plerique certe, ut quatuor sacramenta, *impositionem manuum*, *benedictionem panis*, *poenitentiam*, et *ordinationem*, ita quatuor ordines, *Episcopi*, *Filii majoris*, *Filii minoris*, et *Diaconi* habuisse dicuntur (2). De interno tamen societatis regimine, iis usitato, satis incerti sumus. Asseclas autem suos distribuere solebant in tres maxime classes: *auditorum*, *credentium*, et *perfectorum*. *Credentes* seu *Novitii* ab *auditoribus* differebant, quatenus illi placita sectae jam profitebantur, hi non item. *Perfecti* vero erant homines constantia et fide probati, qui, absentibus *ordinatis* facultate gaudebant vicibus eorum fungendi, et veste nigra gestanda a ceteris se distinguebant: unde dicebantur *vestiti*. Dicebantur etiam *electi* et *Cathari* per excellentiam (3).

Valdenses quoque *Barbas* suos et *credentes* habebant, nec regiminis omnino

---

(1) Hoc loco aliisque bene multis desideravi librum FUESZLINII, *Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern zeit*, quem diu frustra quaesiveram; uti et *Collectionem Judiciorum de novis erroribus, qui ab initio duodecimi saeculi usque ad annum* 1632 *in Ecclesia proscripti sunt et notati*, ed. a c. DU PLESSIS D'ARGENTRÉ et *Histoire générale de Languedoc*. Quos libros si mihi legere licuisset; haud scio, an nonnulla, quae scripsi, omissurus, alia vero scriptis adjecturus fuissem. Nunc aliunde petere debui, quae ibi disputantur. Et scriptores desideratos nonnunquam excitare necesse erat: quod tamen omni fere in loco ita feci, ut simul memorarem eos, qui mihi fuissent auctores.

(2) SCHROECKH. Tom. XXIX. p. 481 sqq.

(3) PETRUS *Mon. l. c.* p. 556, 557. *Epistol.* INNOCENT. III. *l. c.* p. 738. *Pseudo*-REINER. p. 269. ERMENGARD. *l. c.* p. 1612. Saepe etiam *perfecti* dicuntur *consolati:* sed ALANUS utrosque discernit scribendo *l. c.* p. 237: *Hi etiam distinguunt inter consolatos et perfectos: consolatos vocant eos, qui nuper ad eorum Haeresim venerunt, et nondum in ea sunt confirmati. — — Perfectos vero dicunt eos, qui in Haeresi sunt confirmati.* Alii igitur hujus nominis usu ab aliis discrepasse videntur. Cff. GUERIKE. *l. c.* p. 466 et GIESELER. 533, 612, 613 et loca ab eo descripta. Similia de *Manichaeis* notavit BAUR *l. c.* p. 267 seqq.

expertes erant (1); sed quod institutis *Catharorum* simile sit, apud eos non reperitur. Utrique, quod vivendi rationem attinet, *Mystici* fuerunt, id est, homines sensui quendam principatum tribuentes, et *Ascetarum* veterum exempla sequentes: verum ita tamen, ut hujus vitae studium ex longe diverso fonte peterent. *Catharis* vel *Albigensibus Manichaeismi* et *Gnosticismi* placita contemtum inculcabant corporis omniumque rerum adspectabilium (2); *Valdenses* Literarum Sacrarum doctrina inflammabat ad curam et diligentiam, quibus mens corpore superior evaderet. Illi igitur sibi interdicebant usum omnis cibi animalis, carnis, casei, lactis (3); hi lautam et delicatam coenam adspernabantur, ceterum omni alimento sobrie utebantur.

Valdenses BOSSUETUS (4) cum priscis comparavit *Donatistis;* quod in eos, utpote homines pacis studiosissimos, injuriosum, deinde vero falsum est propter discessionem eorum a superstitionibus Ecclesiae Romanae, Seculo XII jam satis superque manifestatam. Vita eorum erat tenuis, et paulo alienior ab humanitate. Commoda quaevis, supra quam par erat, despiciebant. Urgebant quoque, ut necessaria, quae tanquam in medio posita erant. Ceterum vero sceleris aut flagitii ullius convinci nequeunt. ALANUS turpiter abutitur verbis PAULI (5), admonitiones ejus adversus corruptores sui temporis ad *Valdenses* sic applicans: *Haec omnia maxime conveniunt Waldensibus, qui elati sunt, Praelatis Ec-*

---

(1) PILICHDORFF. *l. c.* p. 278, 282. *Scriptum Inquisitoris cujusdam Anonymi de Valdensibus* ad calcem libri ALLIXII p. 324, 325. GIESELER. p. 623 sqq.

(2) SCHMID *l. c.* p. 502, 503.

(3) ECKBERT. *l. c.* p. 609 sqq. ALANUS. *l. c.* p. 256. MONETA p. 5. Vinum etiam non gustasse dicuntur, cum ab aliis, tum a MONETA p. 138. qui et ova utrique *Catharorum* generi, quod recenset, interdicta esse monet. p. 5, 6. Aliter vero ALANUS p. 257. scribens: *qua ratione dicunt, abstinendum esse a carnibus, et non ab ovis, cum ova magis praebeant fomentum luxuriae quam carnes?*

(4) *L. c.* p. 149.

(5) 2 Tim. III. vs. I sqq.

clesiae detrahentes; superbi, propria opera jactantes; blasphemi in Deum per haereses, parentibus carnalibus et spiritualibus inobedientes, quia negant obedientiam Praelatis suis; scelesti, quia suas animas et alias pravis dogmatibus interficiunt; sine affectione ad aliquem, sine pace, alios inquietantes, criminatores, quia aliis crimina imponunt; incontinentes etc. Prudentiorem et generosiorem se praestitit ZANTFLIET *Manichaeismi* eos quidem accusans, sed rumores populi, quibus nefanda crimina iis objiciebantur, refellens (1). Audiri tamen prae omnibus meretur *Pseudo*-REINERUS, cujus verba sunt: *Cum omnes aliae sectae, immanitate blasphemiarum in Deum, audientibus horrorem inducant, haec, scilicet Leonistarum, magnam habet speciem pietatis: eo quod coram hominibus juste vivant, bene omnia de Deo credant, et omnes articulos, qui in Symbolo continentur: solummodo Romanam Ecclesiam blasphemant et Clerum, cui multitudo Laïcorum facilis est ad credendum* (2). Jam vero hoc nomine *Valdenses* etiam *Catharis*, atque ita *Albigensibus* praestiterunt. HUMIUS (3) eos *Enthusiastas* appellat, omnium mortalium maxime innocentes. Similiter alii multi sunt in laudibus eorum praedicandis (4). Sed incredibile est, Veteres illis omnes maculas, quae in scriptis eorum memorantur, temere adspersisse. Et placita horum hominum haud dubie talia erant, ut incautos quosque facile ad vitam dissolutam ducerent (5). Verumtamen negari nequit, vitia *Albigensium* ceterorumque *Catharorum* sermone saepe vehementer exaggerata fuisse. Memoratu dignum est testimonium PETRI *Monachi*, auctoris certe in hos *Haereticos* non benignioris: *Credentes autem Haereticorum dicebantur illi, qui seculariter viventes, licet ad*

(1) In *Chron.* p. 501, 502.
(2) P. 264. cf. et p. 272, ubi et alii *Haeretici* laudantur.
(3) *The History of England.* Vol. II. p. 68.
(4) HALLAM *l. c.* p. 469, 470. HENKE et VATER *l. c.* p. 314. cf. GIBBON. *l. c.* p. 170.
(5) Cff. SCHMID. *l. c.* GUERIKE. p. 466. Adde RICCHIN. p. XXVI, XXVII. PETRUM *Mon.* p. 593.

vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in fide tamen illorum se salvari sperabant, divisi siquidem erant in vivendi modo, sed in fide et infidelitate uniti erant. Qui dicebantur credentes Haereticorum, dediti erant usuris, rapinis, homicidiis et carnis illecebris, perjuriis et perversitatibus universis (1). Quod autem hìc de credentibus occurrît, ne ipsum quidem sine odio et ira scriptum esse, verba docent proxime sequentia: *Isti siquidem ideo securius et effrenatius peccabant, quia credebant sine restitutione ablatorum, sine confessione et poenitentia se esse salvandos, dummodo in supremo mortis articulo Pater noster dicere, et manuum impositionem recipere a magistris suis potuissent* (2). Utique inter hos homines fuisse necesse est, qui virtutibus praeclarioribus splenderent, quam eorum ferrent placita. *Dicunt*, ait EVERWINUS (3), *apud se tantum Ecclesiam esse, eo, quod ipsi soli vestigiis Christi inhaereant, et Apostolicae vitae veri sectatores permaneant, ea, quae mundi sunt, non quaerentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium possidentes etc.* Talis profecto fuit ARMANNUS PUNGILUPUS, ad cujus sepulchrum multi longo itinere venerunt, ut eum post mortem honore et veneratione prosequerentur (4). Tales fuere haud dubie multi eorum, qui, ex Oriente advenae, hospitium in Occidente inveniebant. Tales et inter *Catharos Albigesii* fuisse, aut statuere debebimus, aut in quaestione, quî fieri potuerit, ut ibi homines illi, per multorum annorum seriem, a *Patriciis* et *Plebejis* adversus Pontifices Romanos et reges Francorum defenderentur, nodum habebimus inexplicabilem.

---

(1) *L. c.* p. 556.
(2) *L. c.* p. 556, 557.
(3) *L. c.* et apud GIESELER. p. 532.
(4) MURATORIUS *l. c.* p. 139, 140.

§ 14.

Conclusio argumenti.

Ad calcem disputationis haud inutile erit, praecipua ejus capita verbo repetere. Quaestionem vulgarem, utrum *Valdenses* et *Albigenses* iidem habendi, an a se invicem distinguendi sint, ita comparatam esse vidimus, ut ad eam, nisi restringatur, responderi non possit. Nihil quidem, ni fallor, certius est, quam scriptores medii aevi alteros ab alteris vulgo discrevisse; sed discernendi ratio, quam illi secuti sunt, vehementer differt a ratione, quae plerisque viris doctis recentiorum temporum placuit. *Albigensium* igitur nomen proprie *Haereticos* significat *Albigesii*, id est, *Galliae Narbonensis*, quo *Valdenses* una cum ceteris omnibus conprehenduntur: atque hoc sibi volentes Veteres *historiam Albigensium* scripserunt. Sed quoniam *Haereticorum* hujus regionis, cum longe plurimi, tum audacissimi pertinebant ad *Catharos;* illud ita translatum est, ut de his unis saepe usurparetur. Hoc autem discrimine posito, *Valdenses* ex Occidente profecti, ab omni quidem parte non probandi, sed *Mystici* tamen fuere puriores, qui Literarum Sacrarum doctrina et sua illustrarent tempora, et meliora praepararent. *Albigenses* vero, qui Literas Sacras minoris habentes, *Gnosticismi* et *Manichaeismi* placita Philosophiae principio instruebant, et *Mysticismum* impuriorem inducebant, minus laudabiles se praestiterunt. Verumtamen ut *Mysticismum* ille gravissimis erroribus admixtus, unà cum ipsis sectis ejus fautricibus, paulatim adeo interiit, ut ne vestigia ejus amplius in Occidente cernerentur; sic strenua superstitionis Ecclesiae Romanae oppugnatio, qua *Valdensibus* praeibant, rebus Christianis uberrimos utilitatis fructus peperit. Quae cum ita sint, dubitandum non

est, quin rectissime nuper Cl. CLARISSE (1) virorum doctorum probaverit sententiam, inter sectas, quae instaurationi Sacrorum viam munivarint, tam *Albigenses* collocandos esse quam *Valdenses*.

(1) *Encyclopaedia Theologica*. p. 284.

SUMMA DISPUTATIONIS

DE

VALDENSIUM SECTA

AB

ALBIGENSIBUS BENE DISTINGUENDA.

CAPUT POSTERIUS.

QUOMODO VALDENSIUM SECTA AB ALBIGENSIBUS DISTINGUENDA SIT, OSTENDITUR.

THESES.

I.

Literarum Sacrarum fide, quam imminuerunt *Cathari Albigenses*, omnis religio nititur Christiana.

II.

Non aliter fieri potest, quin vehementer a vero aberrent, qui Philosophiam suam, ut antiquiores et recentiores *Gnostici* et *Manichaei*, a materiae vituperatione repetunt.

III.

Minus recte *Valdenses* Literarum Sacrarum doctrinâ probare conati sunt, civitatum magistratibus interdictum esse, ne homines Christianos ad jusjurandum adigerent.

IV.

Turpiter ALANUS *de Insulis* abusus est admonitione PAULI 2 Tim. III: 1-9, cum eam de *Haereticis* recentioris et quidem sui temporis interpretaretur.

V.

Valdensium secta ante annum MCLX exorta non est.

VI.

Quamvis *Cathari Albigenses* perversa *Gnosticismi* vel *Manichaeismi* placita in Occidentem induxerunt; iidem tamen, Ecclesia Romana strenue oppugnanda, multum boni fecerunt ad instaurationem Sacrorum praeparandam.

VII.

Perspicue docent exemplo suo haud pauci *Catharorum Albigensium*, homines sibi non semper ita constare, ut ad falsa sua placita omnem vitae rationem instituant.

VIII.

Rebus suis minus consulunt *Protestantes*, qui, ad exemplum *Ecclesiae Romanae*, homines sectam sibi congregantes, disputationibus habendis vel conscribendis, ad societatem suam reducere, aut coercere conantur.

ERRATA.

Pag. 7,	not. 1,	SCHROCKHIUS.	*l.*	SCHROECKHIUS.
» 10,	» 1,	orbo	»	orbe
» 10,	» »	anle	»	ante
» 21,	vs. 9,	si quidem	»	siquidem
» 22,	not. 2,	commisserunt	»	commiserunt
» 25,	» 3,	Manichelisme	»	Manicheisme
» 30,	vs. 8,	commisserint	»	commiserint
» »	» ult.	ritibas	»	ritibus
» »	not. 2,	GIESELER l. c. p. 549, 540 deleatur.		
» 31,	vs. 8,	potuis	*l.*	potius
» 32,	» 1,	seqnitur	»	sequitur
» »	» 11,	requiratur	»	requiritur
» »	not. 2,	notavin	»	notavit
» 33,	» 2,	HENCKE et VATER	»	HENKE et VATER
» 34,	vs. 4,	tulum	»	titulum
» »	» 15,	XI	»	XII
» 39,	» 2,	Originem	»	originem
» »	» 19,	Insabbatis	»	Insabbatatis
» 41,	not. 1,	enm	»	eum
» 42,	vs. 10,	auctorum	»	auctorem
» 44,	» 22,	alterum	»	alteram
» 49,	» 18,	videmus	»	vidimus
» 72,	» 3,	ALHOVEDEN	»	*ab Hoveden*
» 73,	» 2,	ostendit	»	ostendat
» »	» 3,	A. Domino	»	A Domino
» »	» 12,	In primis	»	Inprimis
» 75,	» 8,	Veternm	»	Veterum
» 83,	» 23,	congressos	»	congressam
» 85,	» 20,	expressa	»	expressum
» 89,	» 2,	eos	»	eas
» 93,	» 17,	secnm	»	secum
» 95,	» 6,	bendam	»	habendam
» 102,	» 8,	Necephorus	»	Nicephorus

Cetera, quae me fugerunt, lector benevole corrigat!